Klassische Philologie

Quo tempore Isocratis orationes quae ΠΕΡΙ ΕΙΡΗΝΗΣ et ἈΡΕΟΠΑΓΙΤΙΚΟΣ inscribuntur compositae sint

P. Franciscus Kleine-Piening

Klassische Philologie

Quo tempore Isocratis orationes quae ΠΕΡΙ ΕΙΡΗΝΗΣ et ΑΡΕΟΠΑΓΙΤΙΚΟΣ inscribuntur compositae sint

Commentatio philologa

quam consensu et auctoritate amplissimi philosophorum physicorumque in alma litterarum universitate Wilhelmia Westfala Monasteriensi ordinis ad summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

P. Franciscus Kleine-Piening
Oldenburgensis

Paderbornae 1930
Typis Ferdinandi Schoeningh

Consensu et auctoritate ordinis philosophorum commentationem typis expressam esse testatur

Hermannus Wätjen,
ordinis philosophorum h. a. decanus.

Ad ordinem philosophorum de comprobanda commentatione rettulit

Carolus Münscher,
p. p. o.

Examen rigorosum habitum est a. d. V. Kal. Aug. MCMXXX.

Parentibus
optimis dilectissimis
sacrum.

Praefatio.

Usque ad medium fere XIX. saeculum p. Chr. n. plerique viri docti Isocratem ad res publicas quicquam contulisse omnino negabant. Ex oratoris enim ipsius scriptis[1] illum totam per vitam nunquam accessisse ad rem publicam scimus. Timiditas insita atque vox non clara, quominus in rostra vel in contionem escenderet, eum retinebant[2]. Sed, quamquam Isocrates magistratum nunquam capessivit, omnibus negotiis publicis nequaquam renuntiavit. Permultis enim orationibus diligentissime subtilissimeque conscriptis de civitate Atheniensium bene administranda vel de totius Graeciae rebus recte ordinandis maxima cum vi atque auctoritate disseruit. Quo factum est, ut eloquentiae praeclarissimus ille magister scriptor fieret vere politicus eiusque orationes libelli vere politici, quibus, quotiens Atheniensium res incertae atque dubiae sincerum consiliarium desiderabant, cives ingenuo cum studio vel admonebat vel vituperabat.

Perdiu sane viri docti hanc in rebus publicis auctoritatem atque gravitatem ab Isocrate abiudicaverunt neque eius scripta ad res publicas quicquam contulisse opinati sunt. Erant qui Isocratem orationibus illis, etiamsi ad civitatis res pertinerent, nihil aliud nisi artem dicendi excoluisse contenderent, quare Isocratem sophistam et eloquentiae declamatorem nominabant, cuius consilia Atheniensibus data vana atque stultissima fuisse putabant[3].

---

[1] V 81. XII 10. ep. VIII 7; cfr. XV 4. 151.

[2] Multi eorum, qui litteras doctrinasque colebant, quinto quartoque a. Chr. n. saeculo rei publicae administratione abstinebant. Cfr. R. v. Pöhlmann, Sitzb. d. k. b. Akademie d. Wiss. zu München, philos.-philol. u. histor. Kl. (1913) I, p. 5; G. Mathieu, Les idées politiques d'Isocrate, Paris 1925, p. 127 sq.

[3] B. G. Niebuhr, Vorträge über alte Geschichte II, Berlin 1848, p. 73, qui Isocratem appellat „Erzvater aller Sophisten und Declamatoren"; W. Oncken, Isokrates und Athen, Heidelberg 1862, p. 16. 95; A. Schäfer, Demosthenes und seine Zeit I², Leipzig 1885, p. 189; Fr. Koepp, Preuß. Jbb. 70 (1892), p. 487. Multorum virorum iudicia invenies apud I. Kesslerum, Isokrates und die panhellenische Idee (Studien zur Geschichte und Kultur des Altertums, herausgegeben von E. Drerup, H. Grimme und I. P. Kirsch, IV, 3), Paderborn 1910, p. 1 sq.

Nostrae demum aetatis viri docti Isocratis auctoritatem plurimi aestimantes optimo iure saeculi quarti scriptorem politicum excellentissimum eum fuisse dixerunt[1].

Quod vero orationes, quae sunt περὶ εἰρήνης et 'Αρεοπαγιτικός, attinet, Dümmler[2] Isocratem scriptis Platonicis, ut eas conficeret, commotum esse contenderat, ad ea quae Plato ei obiciebat refutanda. Equidem aliorum secutus opiniones virorum doctorum utramque orationem magni momenti esse sentio ad res Graecorum saeculi quarti cognoscendas[3] atque recte aestimandas. Quod ut perspiciamus, quaeramus opus est, quo tempore utraque oratio sit composita. Qua de re, cum viri docti adhuc valde dissentiant, denuo inquirere operae pretium erit.

---

[1] R. v. Scala, Verhandl. d. 41. Versammlung Deutscher Philol. u. Schulmänner in München, Leipzig 1892, p. 110; B. v. Hagen, Philol. 67 (1908), p. 132; P. Wendland, Nachr. d. k. Ges. d. Wiss. zu Göttingen, philol.-hist. Kl. 1, 1910, p. 123 sq.; Ed. Meyer, Geschichte des Altertums V², Stuttgart-Berlin 1913, p. 336 sq.; I. Kessler, p. 1 sq.; E. Drerup, Aus einer alten Advokatenrepublik (Demosthenes und seine Zeit), Paderborn 1916, p. 28; K. Münscher, P.-W. IX, 2223; K. J. Beloch, Griechische Geschichte III 1, Berlin und Leipzig 1922, p. 353 sq.; G. Norlin, Isocrates with an English translation I, London-New York 1928, p. 21.

[2] Kleine Schriften I, Leipzig 1901, p. 99.

[3] Ed. Meyer, p. 280; P. Wendland, p. 125.

Caput I.

De bello sociali quomodo gestum sit.

Omnes viri docti Isocratem bello sociali exorto adductum esse consentiunt, ut orationem, quae περὶ εἰρήνης vel συμμαχικός[1] inscribitur, exararet. Quod ipse in περὶ ἀντιδόσεως oratione dicit[2]. Hac de sola re controversias habent, quo belli anno oratio orta sit. Quare, antequam singulorum virorum doctorum sententias dictas exquiro, bellum sociale quomodo gestum sit, accuratius exponere necessarium erit.

Anno 378/77 Athenienses nonnullis cum Graecorum civitatibus novum foedus, quod maritimum alterum appellare solemus, inierunt[3]. Quo foedere, cum plurimae Graecorum civitates se applicavissent, insequentibus annis magnopere aucto summum maris imperium Atheniensium bello Peloponnesiaco funditus perditum restitutum est. Quae societas imprimis contra Lacedaemoniorum violentiam iniuriasque inita per viginti fere annos quamquam rebus Thebanorum maxime auctis[4] aliquamdiu perturbata exstabat.

Bello sociali anno 357 inchoato foedus maritimum alterum paulatim dissolvebatur. Quod bellum, cum Chii, Rhodii, Coi[5],

---

[1] Codex Urbinas (Γ) habet orationis inscriptionem περὶ εἰρήνης (περὶ τῆς εἰρήνης secundum subscriptionem). Eadem significatione usus est Dionysius Halicarnasensis (Isocr. 7 p. 547; Demosth. 17 p. 1001) scribens περὶ τῆς εἰρήνης. In papyro Londinensi haec oratio significatur περὶ (τῆς) εἰρήνης. Cfr. Drerup, Isocratis opera omnia I, Lipsiae 1906, p. V. Nomen συμμαχικός praebet Aristoteles (Rhet. III 17 p. 1418 a), codex Λ περὶ τῆς εἰρήνης ἢ συμμαχικός.

[2] XV 63: ἔστι δὲ τὰ μὲν ἐν ἀρχῇ λεγόμενα περὶ τῆς εἰρήνης τῆς πρὸς Χίους καὶ Ῥοδίους καὶ Βυζαντίους, ἐπιδείξας δ' ὡς συμφέρει τῇ πόλει διαλύσασθαι τὸν πόλεμον . . .

[3] Diod. XV 28.

[4] E. v. Stern, Geschichte der spartanischen und thebanischen Hegemonie vom Königsfrieden bis zur Schlacht bei Mantinea, Diss. Dorpat 1884, p. 160 sq.; E. Meyer, p. 409 sq.; Beloch, p. 172 sq.

[5] Demosthenes, qui XV 3 socios seditiosos enumerat, Coos omittit. Diodorus et XVI 7, 3 (Χίων καὶ Ῥοδίων καὶ Κῴων, ἔτι δὲ Βυζαντίων ἀποστάντων) et XVI 21, 1 (Χίων καὶ Ῥοδίων καὶ Κῴων, ἔτι δὲ Βυζαντίων διαπολεμούντων πρὸς Ἀθηναίους . . .)

potentissimi ipsi Atheniensium socii, defecissent, quibuscum se coniunxerant Byzantii iam ab agmine in Cherronesum Epaminonda duce facto seditiosi, motum est.

Cuius seditionis causae, de quibus hic breviter referam, erant, quod civitates foederatae de eis, quae ab Atheniensibus contra foederis pactum facta essent, valde indignabantur. Quod e Demosthenis verbis dilucide apparet: ᾐτιάσαντο μὲν γὰρ ἡμᾶς ἐπιβουλεύειν αὐτοῖς Χῖοι καὶ Βυζάντιοι καὶ Ῥόδιοι, καὶ διὰ ταῦτα συνέστησαν ἐφ' ἡμᾶς τὸν τελευταῖον τουτονὶ πόλεμον[1]. — Foedus opibus Lacedaemoniorum fractis supervacaneum esse videbatur, quare foederatos foederis leges sibi oneri esse putavisse facile intellegitur[2]. Huc imprimis accedebat, ut Athenienses in civitates foedere consociatas iniuste se gererent et foederatos magis subditos quam socios haberent. Foederis enim leges[3], ut singularum civitatum libertas servanda neque violanda esset, statuebant. Athenienses vero, ut neque rebus foederatorum domesticis se interposituri neque unquam intra sociorum fines publicos vel privatos agros sibi comparaturi neque in eorum urbibus praesidia collocaturi essent, se obligaverant.

Quod pactum Athenienses non tenuerunt, sed statuti fide neglecta aliarum litibus civitatum denuo se inmiscere coeperunt[4]. Praeterea Athenienses in nonnullorum Graecorum urbibus praesidia collocare veriti non sunt, ut in Samiorum[5] et Potidaeorum[6]

---

omnes seditiosos nominat; sed XVI 21, 2 (οἱ δὲ Χῖοι καὶ Ῥόδιοι καὶ Βυζάντιοι μετὰ τῶν συμμάχων . . .) Coi non leguntur. In Isocratis περὶ εἰρήνης (§ 16) et περὶ ἀντιδόσεως (§ 63) orationibus, lectionem, quam codices habent, si sequimur, Chii et Rhodii et Byzantii soli Cois exceptis enumerantur. Cum vero papyrus Londinensis musei Britannici no. 132 saec. I. p. Chr. n., quae maiorem περὶ εἰρήνης partem continet, in § 16 praebeat: φημὶ δ'οὖν χρῆναι ποιεῖσθαι τὴν εἰρήνην μὴ μόνον πρὸς Χίους καὶ Βυζαντίους καὶ Ῥοδίους καὶ Κνιδίους ἀλλὰ καὶ πρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους, Laistner (The Classical Quaterley XV [1921], p. 78 sq.) hoc Κνιδίους in Κῴους cum corrigeret, in codicis Γ textu καὶ Κῴους inserendum esse censuit. Quam lectionem Laistner in nova quoque editione praebet (Isocrates, De Pace and Philippus, Cornell Studies in Classical Philology vol. XXII, New York-London 1927).

1 XV 3. 2 Schäfer, p. 165.

3 Hoc grave plebiscitum nunc inveniri potest in IG. II² 1, 43 (= Ditt. Syll. I³ 147).

4 Ut Charetem, Atheniensium ducem, a. 361 Corcyrae fecisse scimus. Diod. XV 95, 3; Aen. tact. 11, 13 sq.

5 Dem. XV 9; Isocr. XV 111; Nep. Tim. 1; cfr. Diod. XVIII 18, 9.

6 Dem. VI 20. VII 10; cfr. IG. II² 1, 114.

oppidis. Athenienses quidem, quod haec oppida attinebat, societatis leges non violaverunt, cum Samii Potidaeique foedere consociati non essent[1], sed veri socii ea re, ne idem sibi eveniret, timore affecti sunt. Deinde Athenienses nonnullorum sociorum seditiosorum libertatem valde minuerant[2]. Ad haec omnia accedebat, ut duces Atheniensium, quod persaepe sine necessariis rebus in bellum missi sunt[3], undique sibi comparare cogerentur, quae ad sustentandos milites opus essent. Haec omnia sane effecerunt, ut Athenienses odia invidiamque sociorum in se converterent. Neque tum exortum esset bellum, nisi Mausolus, Cariae princeps, quippe qui imperium amplificare in animo haberet, Chios, Rhodios, Coos, socios valde indignatos, ut ab Atheniensibus desciscerent, commovisset[4]. Quibuscum seditiosis Byzantii se coniunxerunt. Quod factum est sub finem anni 357[5].

Principatus igitur, quem inter civitates Graecorum Athenienses tam diu tenuerant, postquam socii potentissimi defecerunt, summum in periculum deductus est. Quare Athenienses, qui, si seditiosi victuri essent, de maris imperio actum iri non ignoraverunt, ut quam celerrime seditionem opprimerent, bellum paraverunt. — Classis, ut tum erant tempora, satis valida sexaginta navium[6] belli socialis initio Charete duce ad Cherronesum erat[7], dum Philippus, Macedonum rex, Amphipoli[8] Pydnaque[9] urbibus occupatis cum Olynthiis[10] societatem contra Athenienses

---

[1] Cfr. Marshall, The second Athenian confederacy (Cambridge historical essays No XIII), Cambridge 1905, p. 106.

[2] E. gr. Ceorum et Naxiorum libertatem. Cfr. IG. 1, 111. 179.

[3] Hoc e. gr. de Timotheo scimus. Isocr. XV 109. 111; cfr. G. Busolt, Der zweite Athenische Bund (Jbb. f. kl. Philol. Suppl. VII [1873—1875]), p. 845.

[4] Dem. XV 3: ὁ μὲν πρυτανεύσας ταῦτα καὶ πείσας Μαύσωλος.

[5] Diodorus (XVI 6, 1. 7, 3. 22, 2) bellum sociale Cephisodoto archonte (a. 358/57) exortum et per tres annos gestum esse dicit. Dionysius Halicarnasensis (Lys. 12 p. 480) scribens hoc bellum fuisse Agathocle (a. 357/6) et Elpine (a. 356/5) archontibus sine dubio vera dicit. Cfr. H. Hahn, Jbb. f. kl. Philol. 22. (1876), p. 470 sq.; Foucart, Rev. Archéol. 35. (1878), p. 227; Beloch, Die attische Politik seit Perikles, Leipzig 1884, p. 361 sq.; Meyer, p. 492; Beloch, Griechische Geschichte III 2, Berlin und Leipzig 1923, p. 258 sq.

[6] Diod. XVI 21, 1.

[7] Dem. XXIII 173.

[8] Diod. XVI 8, 2; Dem. I 8; Theop. fr. 43 (Oxf.).

[9] Diod. XVI 8, 3; Dem. XX 63. I 5.

[10] Diod. XVI 8, 3; Dem. XXIII 108. II 14.

init. Chares, qui illo ipso tempore in Philippum ducturus erat[1], Chium insulam, focum, ut ita dicam, seditionis aggredi iussus est. Sed Byzantii, Rhodii, Coi, Mausolus, huius belli auctor, Chiis tot auxilia tulerunt[2], ut impavidi cum Atheniensium copiis congredi possent.

Primo vere anni 356 Chares expeditionem in Chium suscepit[3]. Insulam advectus copiis in terram expositis urbem terra marique obsidere coepit. Chares ipse copiis pedestribus praeerat, cum Chabrias trierarchus[4] copiis navalibus imperaret. Chabrias pugna navali orta portum intrare conatus est. Sed hoc in impetu fortissimus ille vir, qui persaepe copiis cum Atheniensibus victorias adeptus erat[5], mortem occubuit gloriosam. Navis, in qua erat, cum aliae Atheniensium naves auxilio ei non venissent, ab hostibus circumventa rostris quassata atque demersa est. Chabrias ipse, quamquam in tutum pervenire potuit, salute spreta, quoad hostium telis occisus est, fortiter pugnavit[6]. Chares vero, quoniam nihil nisi hostes erumpentes reicere potuerat, obsessionem dimittere coactus est. Haec igitur prima res ab Atheniensibus hoc bello suscepta fuit vana.

Sed Athenienses, quod Chii oppugnatione nihil profecerant, maioribus belli apparatibus faciendis seditiosos subacturos se esse persuasum habebant. Nam socios plurimum valere et e recenti victoria et ex eo cognosci poterat, quod illi classe centum navium coacta insulas Atheniensium imperio subiectas aggressi

---

[1] Nep. Tim. 3: ,,Philippus iam tum valens, Macedo, multa moliebatur: cui oppositus Chares cum esset, non satis in eo praesidii putabatur."

[2] Diod. XVI 7, 3.

[3] De eis, quae ad Chium gesta sunt, cfr. Diod. XVI 7 et Nep. Chabrias 4.

[4] Diodorus verbis ἑλόμενοι δὲ στρατηγοὺς Χάρητα καὶ Χαβρίαν ἀπέστειλαν μετὰ δυνάμεως Chabriam Charetis collegam fuisse dicit. Nepos scribit: ,,erat in classe Chabrias privatus, sed omnes, qui in magistratu erant, auctoritate anteibat." Ex eis, quae Demosthenes (XX 82) et Plutarchus (Phoc. 6 p. 744) afferunt, dilucide non apparet, quo munere Chabrias in navibus functus sit. Nepoti, qui verbis allatis Chabriam hoc in proelio ducem militum non fuisse docet, assentior, quod Chabriae nomen in tabula ducum anni 357/6 (Ditt. Syll. I³ 190) deletum est. Cfr. Schäfer, p. 169 adnot. 1; Meyer, p. 492; U. Kahrstedt, Forschungen zur Geschichte des ausgehenden fünften und des vierten Jahrhunderts, Berlin 1910, p. 68. Diodorum sequitur Beloch, Attische Politik seit Perikles, p. 320. Griechische Geschichte III 1, p. 238 adnot. 2.

[5] Dem. XX 80.

[6] Diod. XVI 7, 4; Nep. Chabr. 4, 3; Dem. XX 80 sq.; Plut. Phoc. 6 p. 744.

sunt[1]. Atque socii Lemno Imbroque insulis devastatis Samum[2] insulam, quae cum Atheniensibus stabat et eorum gravissimum erat subsidium[3], oppugnare coeperunt et urbem terra marique cinxerunt. Immo multae aliae insulae, in quas impetum fecerunt, sociis seditiosis ad belli usus pecunias solvere coactae sunt[4]. Athenienses enim, quin hostes eorum fines aggrederentur, impedire non poterant. Scilicet Chares, quamquam apud Chium inferior fuerat, revocatus non est, id quod Athenienses duce quodam devicto plerumque facere solebant, sed classem denuo in mare eduxit. Cum autem hostes Lemnum Imbrumque insulas populantes in septentriones veherentur, illum in aequoribus Chium insulam circumfluentibus manere noluisse, sed, ne copiae Byzantiorum cum sociis se coniungerent, Hellespontum petivisse verisimile esse mihi videtur[5].

Athenienses vero, cum inimicitias pugna navali decernendas esse[6] eis persuasum esset, praesertim cum seditiosi totum per mare Aegaeum libere navigarent, ut novas ornarent naves, omnibus contenderunt viribus. Classi igitur sexaginta navium brevi instructae imperatores illius temporis celeberrimi[7] praefecti sunt, qui erant Timotheus, Cononis clarissimi illius viri filius, Iphicrates, Menestheus, Iphicratis filius et Timothei gener. Athenienses vero, postquam haec classis cum Charetis navibus se coniunxit (aestate anni 356), sociis seditiosis pares erant. Atque primum duces classe centum viginti navium ad Byzantium oppi-

[1] Diod. XVI 21, 2.

[2] Nepos (Tim. 3, 1) scribens ,,defecerat Samus“ Samum falso inter eas insulas fuisse narrat, quae ab Atheniensibus desciverant. Diodorus sine dubio vera profert.

[3] Quae insula anno 365 a Timotheo expugnata erat. Isocr. XV 111; Dem. XV 9; Nep. Tim. 1, 2. Cfr. Meyer, p. 457; Beloch, Griech. Gesch. III 1, p. 194.

[4] Diod. XVI 21, 2.

[5] Hoc cum Meyero (p. 491) et Judeicho (Kleinasiatische Studien, Untersuchungen zur Griechisch-Persischen Geschichte des IV. Jahrhunderts v. Chr., Marburg 1892, p. 287) contra Schäferum (p. 169) teneo.

[6] Diod. XVI 21, 1: ἀμφότεροι μεγάλας παρασκευὰς ἐποιοῦντο, βουλόμενοι ναυμαχίᾳ κρῖναι τὸν πόλεμον.

[7] Menestheum solum ducem et Iphicratem Timotheumque consiliarios ei additos esse Nepos (Tim. 3, 2) narrat his verbis: ,,fit Menestheus praetor, filius Iphicratis, gener Timothei, et ut ad bellum proficiscatur decernitur. huic in consilium dantur duo usu sapientiaque praestantes, [quorum consilium uteretur] pater et socer, quod in his tanta erat auctoritas, ut magna spes esset per eos amissa posse recuperari.“ Hoc falsum esse inde patet, quod postea omnes tres neque Menestheus unus Athenis in iudicium vocati sunt.

dum obsidendum profecti sunt[1]. Quare Athenienses, ut ita facerent, commoti sint, facile ex eo cognosci potest, quod per Bospori et Hellesponti angustias naves e Ponti Euxini litoribus Athenas comportabant frumenta[2]. Quae freta, ne naves ab hostibus interciperentur et commeatu intercluso Athenienses inopia urgerentur frumenti, tueri opus erat. Neque duces Atheniensium Byzantium oppidum se superaturos esse non speravisse existimo. Utrum vero socii seditiosi tum, cum classis Atheniensium Bosporum petebat, a Samo insula oppugnanda destiterint et Byzantiis auxilium laturi in septentriones navigaverint an postea demum eo profecti sint, ex eis, quae apud antiquos scriptores legimus, certo cognoscere non possumus[3]. Sed Athenienses Byzantii oppidi obsidione dimissa ad Samum navigaverunt. Pugna tunc commissa apud Embatam[4], quae urbs sita est[5] ad fretum, quod Chium insulam et continentem dirimit, eis adversa facta est. Quo de proelio navali Diodorus[6] et Nepos[7], scriptores antiqui, narrant. Chares enim statim cum hostibus congredi in animo habebat. Sed cum magna tempestas orta et mare magnopere

---

[1] In enarrandis his rebus Diodorum (XVI 21, 3) sequor. Cfr. Beloch, p. 239; Judeich, p. 287; aliter sentiunt Schäfer (p. 169) et Meyer (p. 491).

[2] De commercio, quod Atheniensibus cum Ponto Euxino erat cfr. A. Hoeck, De rebus ab Atheniensibus in Thracia et in Ponto ab anno a. Chr. 378 usque ad annum 338 gestis, Diss. Kiliae 1876, p. VII sq.; A. Böckh, Die Staatshaushaltung der Athener I[3], Berlin 1886, p. 60 sq. 99. 103; Beloch III 1, p. 325, qui scribit: ,,Es war darum eine Lebensfrage für Athen, die Wasserstraße nach dem Pontos stets offen zu halten"; J. Hasebroek, Staat und Handel im alten Griechenland, Tübingen 1928, p. 155; E. Ziebarth, Beiträge zur Geschichte des Seeraubs und Seehandels im alten Griechenland (Hamburger Univ., Abhandl. aus d. Gebiet d. Auslandskunde, 30. Bd. — Reihe A: Rechts- und Staatswiss. 2. Bd.), Hamburg 1929, p. 16.

[3] Busolt, Der zweite athenische Bund, p. 857 adnot. 1.

[4] Pugnam navalem commissam esse in Hellesponto Diodorus (XVI 21, 3: συνηθροίσθησαν πάντες οἱ στόλοι περὶ τὴν Ἑλλήσποντον), ad Samum insulam Nepos (Tim. 3, 3) narrant. Diodori sententiam defendit P. Jonas, Vita Charetis Atheniensis, Diss. Vratislaviae (s. a.), p. 20 adnot. 2. Polyaenus (III 9, 29) sine dubio vera scribit: Ἰφικράτης προδοσίας δίκην ἔφυγεν, Ἀριστοφῶν καὶ Χάρης ἐδίωκον· αἰτία δὲ ἦν, ὅτι ἄρα περὶ Ἔμβατα δυνάμενος ἑλεῖν τοὺς πολεμίους οὐ διεναυμάχησεν.

[5] De huius loci situ Thucydides (III 29) refert verbis: ἐς Ἔμβατον τῆς Ἐρυθραίας et scholium huic loco additum: ἐς Ἔμβατον] τὸ στενὸν τὸ μεταξὺ Χίου καὶ Ἐρυθρᾶς; cfr. quod Stephanus Byzantius e Theopompi libro VIII sumptum affert: Ἔμβατον, τόπος Ἐρυθραίας. De Embatorum situ cfr. Hoeck, p. XXXXVI.

[6] XVI 21.

[7] Tim. 3.

turbatum esset, ceteri illi tres duces, ut armis decerneretur dissuaserunt. Chares autem, qui consilio trium ducum neglecto proeliari ausus erat, pugnam omittere atque finire et nonnullis navibus amissis se recipere coactus est.

Hoc commentationis loco interrogare licet, qua de causa Timotheus ceterique Atheniensium duces, postquam Chares pugnare coepit, proelio non interfuerint neque hoc in gravissimo discrimine Charetem adiuverint. Quod Diodorus affert[1], meo quidem iudicio vix sufficit, ut, quae a ducibus facta sunt, excusentur. Etiam Schäfer[2] hoc incredibile esse censet. Etiamsi e fontibus, quare tres duces, imprimis Timotheus, qui sine dubio huius consilii auctor erat, ita se gesserint, certo cognoscere non possumus, causas in eo fuisse arbitramur, quod Timotheus de sociis habendis recuperandisque longe aliter sentiebat ac Chares. Nam Timotheus vir placidus erat, qui hostes Atheniensium vel socios seditiosos clementia iustitiaque neque vi iniuriisque subigere vel recipere volebat, at Chares[3] vir erat ad rem quamlibet militarem exercendam promptissimus, qui non nisi de pugnis, iniuriis, tributis exigendis cogitabat. Isocrates enim, magister familiarisque Timothei, in περὶ ἀντιδόσεως oratione[4] mores factaque discipuli magnificis celebravit verbis. Ubi orator, postquam urbes a Timotheo captas numeravit, disertis verbis profert, quid causae fuerit, quare praeclarissimus ille dux tot socios Atheniensibus nullo negotio subigere posset. Socii enim, quoties Timotheus copiis

---

[1] XVI 21, 3: μελλούσης δὲ γίνεσθαι τῆς ναυμαχίας μέγας ἄνεμος ἐπιπεσὼν διεκώλυσεν αὐτῶν τὴν προαίρεσιν. τοῦ δὲ Χάρητος παρὰ φύσιν βουλομένου ναυμαχεῖν καὶ τῶν περὶ τὸν Ἰφικράτην καὶ Τιμόθεον ἐναντιουμένων διὰ τὸ μέγεθος τοῦ κλύδωνος.

[2] p. 170: „Unsere Kenntnis von den obwaltenden Umständen ist zu dürftig, als daß wir ein sicheres Urteil fällen könnten. Indessen ist wohl das Bedenken erlaubt, ob nicht die älteren Feldherrn allzu bedächtig der Schlacht sich weigerten: wenigstens hören wir nicht, daß Chares mit seinem Geschwader durch den Sturm gelitten habe."

[3] Aesch. II 71; Isocr. XV 116; Theop. fr. 205 (Oxf.). Cfr. C. Rehdantz, Vitae Iphicratis Chabriae Timothei Atheniensium, Berolini 1845, p. 208 sq.; Meyer, p. 482: „Der Mann des Vertrauens war jetzt Chares, ein unverzagter Kriegsknecht, aber im übrigen schon mehr Räuberhauptmann als Feldherr. Gewalttätigkeiten aller Art zu üben, Contributionen beizutreiben, und seinen Soldaten durch die Finger zu sehen, verstand er gründlich; und wenn er dabei sich selbst nicht vergaß, so bekam doch der Demos daheim auch etwas ab."

[4] XV 107—127; cfr. Fr. Blaß, Die attische Beredsamkeit, II², Leipzig 1892, p. 52. 310; Fr. Leo, Die Griechisch-Römische Biographie nach ihrer litterarischen Form, Leipzig 1901, p. 92; Münscher, P.-W. IX, 2210.

praeerat, ne ex insidiis bellum et a mercennariis vis sibi inferretur, minime timebant. Immo in urbes vi expugnatas tam clementer Timotheus se gerebat, ut propter bonam eius famam multarum urbium cives Atheniensibus olim infestissimi apertis eum recipiebant portis. „Quorum omnium summum est quod, quum reliquo tempore multae gravesque calamitates Graecis accidere solerent, illo imperatore nemo neque seditiones factas neque civitatum immutationes neque caedes neque exilia neque aliud ullum ex gravioribus malis incidisse reperiat: quae clades illo tempore adeo quieverunt, ut solus omnium nostra memoria urbem nostram invidia liberatam Graecis praestiterit[1]." His igitur rationibus clementiae iustitiaeque plenis adhuc in expeditionibus permultis usus ille ad societatem maritimam faciendam plurimum contulerat. Quare Timotheum eo ipso tempore, quo, ne haec societas dissolveretur, summo in periculo erat, hac via transigendi decidendique cum sociis inimicitias componere neque bello, quo hostilia tantum in dies magis augerentur, seditiosos recuperare voluisse puto.

Epistulae de adversa pugna Athenas missae[2] civium Atheniensium, qui et imperatoribus praeclaris et permagnis copiis freti socios devictum iri speraverant, et spem fefellerunt et animos magnopere commoverunt. Chares quidem, quippe qui, quod contra ducum consilium iniisset proelium, cladis auctor esset, ne Athenienses sibi irascerentur, iam providerat. Ceteros enim imperatores militum testimoniis usus proditionis accusavit et litteris accusatoriis Athenas missis collegarum culpa victoriam sibi manibus ereptam esse declaravit. Haec crimina, quae aliis quoque temporibus plurimum apud Athenienses valebant, etiam tunc temporis effecerunt, ut Chares molestiam cladis a se amoveret, Timotheus, Iphicrates, Menestheus duces imperio abrogato in iudicium vocarentur[3]. Aristophon enim, amicus assectatorque

---

[1] Versione Latina I. G. Baiteri (Isocratis orationes et epistulae, Graece et Latine, Parisiis 1846) usus sum.

[2] Diod. XVI 21, 4; Nep. Tim. 3, 4.

[3] Diod. XVI 21, 4; Nep. Tim. 3, 5; Dionys. Hal. Lys. 12 p. 480; Dinarch. 13 p. 667; Polyaen. III 9, 29; Isocr. XV 129. — Causam paulo post pugnam vanam (fortasse hieme anni 356/55) esse actam cum Hahno (p. 472), Meyero (p. 492), Belocho (III 2, p. 260) contra Schäferum (p. 173 sq.) et alios, qui Dionysium sunt secuti, pro certo habeo. — Dionysius Halicarnasensis (Dinarch. 13 p. 668: Τιμόθεος δὲ τὰς εὐθύνας ὑπέσχηκεν ἐπὶ Διοτίμου τοῦ μετὰ Καλλίστρατον) litem anno 354/53 fuisse narrat. Sed Iphicrates se ipsum defendens dicit (Plut.

Charetis, spe pecuniae permotus[1] imperatores ab exercitu remotos proditionis reos fecit, quod scelus Athenienses capite multare solebant[2]. Iphicrates quidem magna audacia et animo impavido semetipsum defendit. Nonnulla verba, quae apud iudices fecit, nobis servata sunt[3]. Multi armati, qui penes eum erant, sub orationis finem gladios strinxisse dicuntur[4]. Quare iudices Iphicratis suorumque vim metuentes eum et Menestheum filium absolverunt[5]. Causa Timothei minus prospere evenit. Scilicet a Chiis Rhodiisque corruptus esse dicebatur[6], quare centum talentis multatus est[7]. Quam pecuniae summam ingentem cum solvere non posset, Timotheus Chalcidem iit in exilium, ubi brevi post supremum obiit diem[8]. Post eius mortem autem, cum populum Atheniensium iudicii iniusti, quod contra ducem valde emeritum tulerant, poeniteret, multa ita mutata est, ut Conon, Timothei filius, decem talenta ad moenium quandam partem restituendam solvere iuberetur[9].

Tribus ducibus revocatis causisque eorum iudicatis Chareti soli summum omnium copiarum imperium mandatum est[10]. Neque tamen in tempus praesens ille victores in socios impetum facere poterat. Quare, cum e fontibus nihil de rebus militaribus

---

reg. et imperat. apophth. Iphicr. 4 p. 187): οἷα ποιεῖς, ὦ ἄνθρωπε, πολέμου περιεστῶτος, τὴν πολιν περὶ ἐμοῦ πείθων βουλεύεσθαι, καὶ μὴ μετ' ἐμοῦ. Chares vero in iudicio ipse adesse non debuit (cfr. Diod. XVI 21, 4). Isocrates autem in περὶ ἀντιδόσεως oratione (§ 101) Timothei mortem commemorat; quare haec causa, cum περὶ ἀντιδόσεως oratio anno 353 scripta sit, hoc anno acta esse non potest.

[1] Schol. ad Aesch. I 64: κεκωμῴδηται ὁ 'Αριστοφῶν ὡς ὑπὲρ Χάρητος μισθοῦ λέγων.

[2] Nep. Iphicr. 3, 3.

[3] Cfr. Aristot. Rhet. III 23 p. 1398a. III 10 p. 1411 b; Plut. reg. et imperat. apophth. Iphicr. 4 p. 187.

[4] Polyaen. III 9, 15. 29; cfr. Rehdantz, p. 224 sq.; Schäfer, p. 175 sq.

[5] Polyaen. III 9, 29; Nep. Iphicr. 3, 3; Isocr. XV 129.

[6] Dinarch. I 14: ὅτι χρήματ' αὐτὸν 'Αριστοφῶν ἔφη παρὰ Χίων εἰληφέναι καὶ 'Ροδίων. — Busolt (p. 833) Timotheum re vera pecuniis corruptum esse censet.

[7] Nep. Tim. 3, 5: „hoc iudicio damnatur Timotheus lisque eius aestimatur centum talentis. ille odio ingratae civitatis coactus Chalcidem se contulit"; Dinarch. I 14; Diod. XVI 21, 4; Isocr. XV 129.

[8] Isocr. XV 101.

[9] Nep. Tim. 4, 1.

[10] Diod. XVI 22, 1: Χάρης δὲ παραλαβὼν παντὸς τοῦ στόλου τὴν ἡγεμονίαν καὶ σπεύδων τῆς δαπάνης ἀπαλλάξαι τοὺς 'Αθηναίους ἐπιχείρησε πράξει παραβόλῳ· . . . ὁ μὲν 'Αρτάβαζος ἀποδιδοὺς τῆς εὐεργεσίας χάριτας ἐδωρήσατο πλῆθος χρημάτων, ἐξ ὧν δυνατὸν ἦν πᾶσαν τὴν δύναμιν ὀψωνιάζεσθαι . . .

inter Athenienses et seditiosos tunc gestis comperiamus, in septentrionales regiones eum profectum esse verisimile est. Exercitus quidem Atheniensium, quod militum numerum attinebat, cum hostibus dimicare poterat, praesertim cum copiae magnopere auctae essent, quia Graeci, qui mercede apud Persarum satrapas militaverant, dimissi cum Atheniensium copiis se coniunxerant[1]. Neque Atheniensibus, cum proximis annis semper in bello fuissent et eo ipso tempore classem centum viginti navium ornavissent, pecunia praesto erat[2], ut militibus mercedem dare possent. At mercede opus erat, si Chares mercennarios feroces, qui stipendiis non persolutis ad alium ducem, sive ad hostem sive ad amicum, militatum abire solebant, apud se retinere volebat[3]. Quare Chares, cum hac re adversa valde premeretur, ab Artabazo, Bithyniae provinciae satrapa, qui, postquam a rege Persarum desciit, contra regis et satraparum fidorum copias magnas pugnaturus erat, auxilium petivit[4]. Quo facto magnas pecunias se expensurum esse Artabazus pollicitus est[5]. Haec sine dubio causa principalis erat, qua commotus Chares tunc temporis sociis, id quod expectari poterat, bellum non intulit, sed rebus in Asia gerendis implicatus est. Fortasse accedebat, ut Chares de magno periculo, quod Atheniensibus a rege Persarum imminebat, cogitaret. Nam Mausolus ille Cariae dynastes socios, ut deficerent, moverat, quare, ne illi a rege adiuvarentur, timendum erat, quod, quominus fieret, Chares impedire debebat.

Chares igitur, quamquam pacem, quae Antalcidae appellatur, ea re violavit, in Asiam profectus militiae munus apud satrapam seditiosum subiit[6]. Re vera magnam de Persarum copiis reportavit victoriam (medio anno 355) atque in litteris Athenas missis superbe se iactans hanc victoriam cum Marathonia comparare veritus non est[7]. Quo nuntio allato animos Atheniensium,

---

[1] Schol. ad Dem. IV 19. [2] Cfr. Diod. XVI 22, 1.

[3] Dem. IV 24: . . . οὐ γὰρ ἔστιν ἄρχειν μὴ διδόντα μισθόν.

[4] Chares ob pecuniae inopiam iam Lampsacum et Sigeum urbes cum militibus diripuerat. Cfr. Dem. II 28; Theop. fr. 103 (Oxf.); Nep. Chabr. 3, 4; schol. ad Dem. III 31; Arrian. Anab. I 12, 1.

[5] Cfr. Diod. XVI 22, 1.

[6] Diod. XVI 22; schol. ad Dem. III 31. IV 19; cfr. Dem. IV 24; Plut. Arat. 16 p. 1034 a. — Athenienses, ut tum res se habebant, Charetis consilia comprobaverunt. Cfr. Diodori verba: οἱ δ' Ἀθηναῖοι τὸ μὲν πρῶτον ἀπεδέξαντο τὴν πρᾶξιν τοῦ Χάρητος.

[7] Plut. Arat. 16 p. 1034a; schol. ad Dem. IV 19.

praesertim cum magna praeda a Charete Athenas missa esset[1], summo gaudio affectos esse facile intellegitur[2]. Multas post res proximorum annorum adversas spes sane et fiducia redintegratae sunt. Victoriam omnium cum laetitia celebraverunt. Neque diu gaudia eorum duraverunt. Nam rex Persarum iratus per legatos, quod Chares Artabazum, satrapam seditiosum, adiuvisset, questus, ut Athenienses ducem revocarent, postulavit. Quae minae, cum regem Persarum classe trecentarum navium sociis auxilio venturum esse rumor esset[3], effecerunt, ut Athenienses Charetem reverti iuberent.

Quibus factis et Atheniensium societatis maritimae et sociorum seditiosorum fortuna constituta est. Nam cum socii quoque ad pacem faciendam parati essent[4], Eubulo auctore[5] pax mox composita est[6]. Athenienses Cois, Chiis, Rhodiis, Byzantiis plenam concesserunt libertatem. Sed socii, qui pace confecta sui iuris esse coeperunt, qualis socius esset Mausolus, brevi post intellegebant. Nam eius opera in Coorum, Rhodiorum, Chiorum insulis civitate, quae a populo tenebatur, dissoluta civitas optimatium, qui cum Cariae principe stabant, constituta est[7]. Pace cum sociorum potentissimis civitatibus facta Atheniensium maris imperium gravissime labefactatum est. Multae enim aliae civitates sociorum liberorum exemplum secutae societatem solverunt, ut Atheniensibus paucae admodum civitates foederatae manerent[8].

Caput II.

Quo tempore περὶ εἰρήνης oratio composita sit.

Postquam bellum sociale, quomodo gestum esset, satis accurate exposuimus, quo tempore Isocrates περὶ εἰρήνης orationem

---

[1] Isocr. VII 10.

[2] Diod. XVI 22, 2.

[3] Diod. XVI 22, 2.

[4] Cfr. Diodori verba: εὑρὼν δὲ κἀκείνους ἐπιθυμοῦντας τῆς εἰρήνης ῥᾳδίως πρὸς αὐτοὺς διελύσατο.

[5] Cfr. Dem. III 28; imprimis schol. huic loco additum (Dind.): εἶτα εἰρήνην ἐποιήσαντο ὥστε πάντας αὐτονόμους ἐᾶσαι τοὺς συμμάχους. τοῦτο οὖν φησιν, ὅτι καὶ οὓς προσηγαγόμεθα τῷ πολέμῳ, καὶ τούτους διὰ τὴν εἰρήνην ἀπολωλέκαμεν. τοῦ δὲ τοιαύτην γενέσθαι τὴν εἰρήνην αἴτιος Εὔβουλος οὕτω διοικῶν τὰ πράγματα.

[6] Diod. XVI 22, 2; Dem. XV 26 sq. XVIII 234.

[7] Dem. XIII 8. XV 19; Theop. fr. 118 (Oxf.).

[8] Meyer, p. 494; Beloch III 1, p. 244.

ediderit, constituere nostrum est. Viri docti enim contendunt, utrum haec oratio ineunte an exeunte bello sociali, utrum ante an inter hostilia an post pacem factam sit conscripta. Quas vero singuli sententias protulerint, paucis referam.

Quod Christian[1] περὶ εἰρήνης orationem ante belli socialis initium compositam esse contenderat, paucis rebus exceptis Leloup[2] quoque defendit, qui Symmachicum initio belli editum esse existimabat. Primis belli temporibus — quae sunt ante pugnam ad Chium insulam factam — orationem adscribit Oncken[3], cuius sententiam Schillbach[4] secutus est. Nonnulli primum belli annum (a. 357/56 i. e. tempus, quod est ante proelium navale ad Embatam commissum) accipiendum esse sentiunt. Ex quibus enumero Pfundium[5] et nostrorum temporum viros doctissimos Münscherum[6] et Mathieuum[7]. Medio bello (a. 356/55) orationem attribuerunt Auger[8], Beloch[9], Blaß[10], Drerup[11], Mesk[12], Laistner[13], belli exitui (a. 355) Lange[14], Clinton[15], Busolt[16], Schäfer[17], Böckh[18], Jebb[19], Marshall[20], Gomperz[21], Dobson[22],

---

[1] Isokrates Werke, übersetzt IV, Stuttgart 1835, p. 413 sq.

[2] Isocratis oratio de pace, Moguntiae 1826, p. 55.

[3] Isokrates und Athen, p. 85. 109 sq.

[4] De Isocratis oratione, quae inscribitur περὶ εἰρήνης, Progr. Potsdam 1868, p. 9.

[5] De Isocratis vita et scriptis, Progr. Berlin 1833, p. 21.

[6] P.-W. IX, 2205; — Xenophon in der Griechisch-Römischen Literatur, Phil. Suppl. XIII, 2, Leipzig 1922, p. 17; — Berl. phil. Woch. 32 (1912), 195.

[7] Les idées politiques d'Isocrate, p. 116. 118.

[8] Œuvres complettes d'Isocrate, traduites en françois I, Paris 1781, p. 143; — Isocratis opera omnia II, Paris 1782, p. 159.

[9] Die attische Politik seit Perikles, p. 365.

[10] Die attische Beredsamkeit II, p. 300.

[11] Isocratis opera omnia I, p. CLIII.

[12] Wiener Studien 38 (1916), p. 1 sq.

[13] Isocrates de pace and Philippus, p. 17; The Classical Quaterley XV (1921), p. 79.

[14] Des Isokrates sämtliche Reden und Briefe aus dem Griechischen übersetzt und erläutert I, Berlin und Stralsund 1798, p. 194. 197.

[15] Fasti Hellenici II, Oxford 1841, p. 137.

[16] Der zweite athenische Bund, p. 825. 858.

[17] Demosthenes und seine Zeit I, p. 188.

[18] Die Staatshaushaltung der Athener I, p. 496 adnot. a.

[19] The Attic Orators from Antiphon to Isaeos II², London 1893, p. 182.

[20] The second Athenian confederacy, p. 108.

[21] Wiener Studien 27 (1905), p. 200.

[22] The Greek Orators, London 1919, p. 153.

Burk[1], Norlin[2], cum post pacem factam eam constituant Böhnecke[3], Benseler[4], Euler[5], Judeich[6]. Recentiorum idem sentiunt Meyer[7] et Miltner[8], quibus Symmachicum post orationem 'Αρεοπαγιτικός inscriptam compositum esse persuasum est.

Quoniam res gestae, quae in περὶ εἰρήνης oratione spectantur, quo anno Isocrates orationem in lucem ediderit luculenter non indicant, alius aliter sentit. Verumtamen illae res, quo tempore oratio composita sit, maxima cum probabilitate ut demonstremus, ansam dare videntur.

§ I.

Num oratio ante bellum sociale conscripta sit.

Quaestio exoritur prima, utrum Isocrates orationem, quae περὶ εἰρήνης inscribitur, ante bellum sociale initum an bello iam orto composuerit.

Christian orationem tempori, quod est ante bel um soc ale, adscribit[9]. Isocratem enim nullo orationis loco de eis, quae bello gestae essent, sed de prioribus rebus neque de bello finiendo, sed potius de pace servanda dicere Christian argumentatus est.

Cuius argumenta oratione ipsa non confirmantur; econtra bellum iam ortum esse et Isocratem re vera de bello tum flagrante pronuntiare ex oratione dilucide apparet.

Verba § 2: ἥκομεν γὰρ ἐκκλησιάσοντες περὶ πολέμου καὶ εἰρήνης,

---

[1] Die Pädagogik des Isokrates (Studien z. Gesch. u. Kultur des Altertums, hrg. v. E. Drerup, H. Grimme und I. P. Kirsch, XII, 3/4), Würzburg 1923, p. 59.

[2] Isocrates II, London-Neu York 1929, p. 5.

[3] Forschungen auf dem Gebiete der attischen Redner und der Geschichte ihrer Zeit I 2, Berlin 1843, p. 729.

[4] Isokrates' Werke, Griechisch und Deutsch II, Leipzig 1854, p. 197.

[5] Über die Abfassungszeit der Isokrateischen Friedensrede, Progr. Corbach 1883, p. 18.

[6] Kleinasiatische Studien, p. 291.

[7] Geschichte des Altertums V, p. 494.

[8] Mitteilungen des Vereines klassischer Philologen in Wien I (1924), p. 46.

[9] p. 415 sq.: „Daher glauben wir die Abfassung unserer Rede vor den Anfang des Bundesgenossenkrieges setzen zu müssen, als nach dem Abfalle jener Inseln und Städte die Frage in Athen zur Entscheidung gekommen war, ob man sie durch Krieg zu ihrer früheren Abhängigkeit zurückbringen, oder durch einen Frieden, welcher ihnen Abschaffung des Drucks und eine gerechte Behandlung zusicherte, dem Staate erhalten sollte."

ἃ μεγίστην ἔχει δύναμιν . . .[1] et ea § 5: πᾶσι γὰρ ἦν φανερόν, ὅτι μᾶλλον ἡσθήσεσθε τοῖς παρακαλοῦσιν ὑμᾶς ἐπὶ τὸν πόλεμον ἢ τοῖς περὶ τῆς εἰρήνης συμβουλεύουσιν[2] nihil certi nobis dicunt, sed paragraphis 16, 19—24 accuratius exponuntur. Quibus ex locis bellum iam coeptum esse certo cognoscere possumus. Initio enim § 16 Isocrates profert:

Φημὶ δ'οὖν χρῆναι ποιεῖσθαι τὴν εἰρήνην μὴ μόνον πρὸς Χίους καὶ Ῥοδίους καὶ Βυζαντίους καὶ Κῴους ἀλλὰ καὶ πρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους . . .

Illud ποιεῖσθαι τὴν εἰρήνην bellum re vera susceptum neque suscipiendum esse ostendit. Benseler[3] hoc loco de oratione περὶ ἀντιδόσεως anno 353 scripta nos admonet, ubi Isocrates de Symmach co dicit[4]:

ἔστι δὲ τὰ μὲν ἐν ἀρχῇ λεγόμενα περὶ τῆς εἰρήνης τὴς πρὸς Χίους καὶ Ῥοδίους καὶ Βυζαντίους, ἐπιδείξας δ'ὡς συμφέρει τῇ πόλει διαλύσασθαι τὸν πόλεμον . . .

Quare Benseler omnia haec verba sine dubio de bello tum suscipiendo dici non potuisse bene concludit.

Hostilia iam coepta esse etiam §§ 19 sq. satis demonstrant, ubi Isocrates Athenienses de detrimentis in bello acceptis admonet[5]. Initio § 19 enim dicit cives Atheniensium, si secure urbem incolentes, quae ad vitam degendam pertineant, habituri et inter se ipsos consentientes ab aliis Graecis bene audituri sint, fortuna prospera usuros esse. Deinde pergit: ὁ μὲν τοίνυν πόλεμος ἁπάντων ἡμᾶς τῶν εἰρημένων ἀπεστέρηκεν[6]. — Permagna nos paupertate affecit et pericula subire nos coegit. Sed pace inita civitatem secure obtinebimus ἀπαλλαγέντες πολέμων καὶ κινδύνων καὶ ταραχῆς, εἰς ἣν νῦν πρὸς ἀλλήλους καθέσταμεν . . . (§ 20). — Cotidie rebus secundis augebimur levati tributis pendendis et navibus instituendis et rebus, quae ad bellum gerendum pertinent, καὶ ταῖς ἄλλαις ἐργασίαις ἐπιχειροῦντες, αἳ νῦν διὰ τὸν πόλεμον ἐκλελοίπασιν

[1] Quae verba Euler (p. 6) recte interpretatur: ,,wir befinden uns im Krieg und wollen berathen, ob wir weiter Krieg führen oder Frieden schließen wollen" oder ,,wir haben Frieden und stehen in Berathung über einen zu beschließenden Krieg".

[2] Cfr. § 12.

[3] p. 200.

[4] § 63/64.

[5] Cfr. Benseler, p. 200; Euler, p. 6; Blaß, p. 299; Drerup, p. CLIII; Mesk, p. 7.

[6] Cfr. § 64: αὕτη γάρ ἐστιν (sc. ἡ ἀρχὴ ἡ κατὰ θάλατταν) ἡ καὶ νῦν εἰς ταραχὴν ἡμᾶς καθιστᾶσα. Cfr. Mesk, p. 4.

(§ 20). — Mercatores peregrinosque urbem convenientes videbimus, ὧν νῦν ἐρήμη καθέστηκεν (§ 21).

Tempora belli neque pacis esse verba, quae sub orationis finem leguntur, clare et perspicue demonstrant. Ubi Isocrates, postquam longe lateque de summo Atheniensium imperio tum va de perturbato et bene restituendo dixit, bellum inutiliter susceptum componendum esse profert his verbis:

δεῖ γὰρ ἡμᾶς, εἴπερ βουλόμεθα διαλύσασθαι μὲν τὰς διαβολάς, ἃς ἔχομεν ἐν τῷ παρόντι, παύσασθαι δὲ τῶν πολέμων τῶν μάτην γιγνομένων[1].

Omnes, quos attulimus, locos non tempus, quod est ante bellum, spectare nobis persuasum est, quam ob rem περὶ εἰρήνης oratio ante bellum coeptum conscripta esse non potest. Immo iidem loci Athenienses medio in bello esse ostentant et imprimis e paragraphis 19—24 bellum aliquamdiu iam gestum esse elucet.

Iisdem argumentis etiam Leloupi[2] sententiam refutare possumus, qui orationem quidem ante belli socialis initium confectam esse existimabat, sed post bellum ortum editam esse, ut Athenienses, ne inchoato bello ruerent in perniciem, moneret.

Ergo Isocratem orationem περὶ εἰρήνης inscriptam non ante hostilia sed post bellum iam ortum confecisse certo concludere possumus.

§ 2.

Num oratio sub belli socialis exitum vel post bellum confecta sit.

Minime vero defendi posse mihi videtur illorum virorum doctorum sententia, qui Isocratem Symmachicum sub belli exitum (Lange, Clinton, Busolt, Schäfer, Böckh, Jebb, Marshall, Gomperz, Dobson, Burk, Norlin) et illorum, qui post bellum sociale eum

---

[1] § 142.

[2] p. 55/56: ,,Hanc orationem civibus Noster proposuit, cum iam in debellandis συμμάχοις Athenienses versabantur, non statim post nuntium Charetis infelicis conatus acceptum . . . Priusquam enim suam orationem Isocrates, ut solebat, expolisset, iam aliquantum temporis elapsum erat . . . Perperam autem ex verbis capitis 9 περὶ μὲν οὖν ὧν οἱ πρέσβεις ἐπαγγέλλονται colligere quis velit, Nostram ipsis temporibus, ubi inter consociatas civitates et Athenienses de pace convenerit, editam esse . . .“

confecisse contendunt (Böhnecke, Benseler, Euler, Judeich, Meyer, Miltner).

Oratorem supremis colloquiis de pace factis commotum esse, ut hanc orationem conscriberet, Benseler censebat[1]. Cum pax, quo tempore haec oratio edita sit, iam confecta esse videatur, oratorem ad pacem constituendam quicquam conferre noluisse. Etiam ex orationis argumento, sic Benseler pergit, apparere oratorem pacem cum sociis componendam atque, quod loci allati demonstrent, pacem fere iam compositam causari, ut Athenienses de sociis iuste habendis admoneat. Similia ac Benseler etiam Meyer nuper protulit[2]. Et Benseler et Meyer orationis compositionem et editionem distinguunt[3].

Sed iam Oncken[4] sententiam Benseleri refutavit. Etiam Münscher[5] argumentis, quae Oncken affert, summatim assentitur. Quae argumenta meo quidem iudicio fieri non posse probant, ut περὶ εἰρήνης oratio post bellum vel, ut alii putant, sub belli exitum scripta sit.

Ex Benseleri et Meyeri verbis, quae attulimus, concludere licet viros illos doctos, cum περὶ εἰρήνης orationem post pacem editam esse putent, socios tempore orationis editae iam liberos fuisse opinari. — At contra ex multis orationis locis, potissimum ex eius prima parte, Athenienses in bello esse patet, quare socii, quo tempore haec oratio edita est, liberi et sui iuris fuisse non possunt. Itaque Benseleri sententia, cum orationis ipsius verbis repugnet, falsa esse debet.

Iam verba § 2 ἥκομεν γὰρ ἐκκλησιάσοντες περὶ πολέμου καὶ εἰρήνης . . ., quibus orator de pace atque bello agendum esse profitetur, pacem non esse demonstrant. Nam illa verba tempori, quod est post pacem, apta esse non possunt, cum Atheniensibus de hac pace conficienda deliberandum sit. Ergo sociis libertas ab Atheniensibus concessa non est[6]. Quod aliis quoque locis comprobatur. In orationis § 15 enim legimus:

---

[1] p. 197.

[2] p. 494: „Die Friedensrede dagegen ist nach dem Frieden geschrieben, wenn sie auch fingiert, bei den entscheidenden Verhandlungen gehalten zu sein. Aber in Wirklichkeit setzt sie den Abschluß voraus, und discutiert ausschließlich das Programm der künftigen Politik.“

[3] Cfr. Mesk, p. 3.

[4] p. 116 sq.

[5] P.-W. IX, 2205.

[6] Athenienses medio in bello esse Isocrates in §§ 19—24 refert, ubi belli damna describit. Cfr. supra p. 20.

παρελήλυθα γὰρ οὐ χαριούμενος ὑμῖν οὐδὲ χειροτονίαν μνηστεύσων ἀλλ' ἀποφανούμενος, ἃ τυγχάνω γιγνώσκων πρῶτον μὲν περὶ ὧν οἱ πρυτάνεις προτιθέασιν, ἔπειτα περὶ τῶν ἄλλων τῶν τῆς πόλεως πραγμάτων· — Quod autem hoc a prytanibus ad populum latum et reliquas res publicas attinet, Isocrates accuratius explanat verbis[1]: Φημὶ δ'οὖν χρῆναι ποιεῖσθαι τὴν εἰρήνην μὴ μόνον πρὸς Χίους καὶ Ῥοδίους καὶ Βυζαντίους καὶ Κῴους ἀλλὰ καὶ πρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους.. — De his ergo duabus rebus orator disputare in animo habet: primum de pace Atheniensibus cum Chiis, Rhodiis, Byzantiis, Cois, deinde de illa cum universis hominibus constituenda, id est, quod alteram partem attinet: Isocrates res publicas penitus emendare studet.

Qua de causa neque Benselero neque Meyero Isocratem de forma futurarum rerum publicarum tantum disputare dicentibus assentiri possum. Qui viri docti primam orationis partem plane neglexerunt, quae latet in verbis: Φημὶ δ' οὖν χρῆναι ποιεῖσθαι τὴν εἰρήνην μὴ μόνον πρὸς Χίους καὶ Ῥοδίους καὶ Βυζαντίους καὶ Κῴους. At vero haec ipsa verba ad constituendam orationis compositionem[2] gravissima sunt. Nam cum orator primum de pace cum sociis seditiosis constituenda verba facere velit, neque hanc pacem iam factam neque socios libertatem nactos esse ponit. Sequitur, ut oratio post pacem anni 355 scripta esse non possit.

Immo prima orationis pars, quae a Benselero et Meyero plane neglecta est, fundamentum est alterius partis (ἀλλὰ καὶ πρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους), qua Isocrates re vera, ut Meyer dicit, de futuris rebus publicis loquitur. Atque etiam, quantopere hae duae orationis partes inter se cohaereant, e paragraphis 15 et 25 comperimus, ubi Isocrates pacem cum sociis seditiosis faciendam minime profuturam esse pronuntiat, nisi Athenienses pacem servaturi sint. — Verba sunt haec:

οὐδὲν γὰρ ὄφελος ἔσται τῶν νῦν περὶ τῆς εἰρήνης γνωσθέντων, ἢν μὴ καὶ περὶ τῶν λοιπῶν ὀρθῶς βουλευσώμεθα (15)·

ἡγοῦμαι δὲ δεῖν ἡμᾶς οὐ μόνον ψηφισαμένους τὴν εἰρήνην ἐκ τῆς ἐκκλησίας ἀπελθεῖν ἀλλὰ καὶ βουλευσαμένους, ὅπως ἄξομεν . . . (25).

Illa participia temporis praeteriti γνωσθέντων et ψηφισαμένους

---

[1] § 16.

[2] Orationem eodem tempore compositam et editam esse puto.

pacem iam factam indicare et Benseler[1] et alii[2] opinantur. Sed illi viri meo iudicio haec participia ex orationis contextu interpretari praetermiserunt. Aoristus sane est „die Form, welche eigentlich das Eintreten in die (vergangene) Wirklichkeit bezeichnet"[3]. Neque aoristo tempus praeteritum re vera significari necessarium est, sed de tempore, quod orator iam praeteritum fingit, cogitari potest. Isocrates enim, quo tempore orationem scribit, pacem factam esse cum sibi fingat, Athenienses, ut pacem mox factam colant, admonet. Quae participia condicionaliter intellegenda esse etiam enuntiata, quae inter § 15 et 25 sunt, probant[4]:

Περὶ δὲ τῆς εἰρήνης πρῶτον διαλεχθῶμεν καὶ σκεψώμεθα, τί ἂν ἐν τῷ παρόντι γενέσθαι βουληθεῖμεν ἡμῖν (18).

ἢν δὲ τὴν εἰρήνην ποιησώμεθα, καὶ τοιούτους ἡμᾶς αὐτοὺς παράσχωμεν, οἵους αἱ κοιναὶ συνθῆκαι προστάττουσι, μετὰ πολλῆς μὲν ἀσφαλείας τὴν πόλιν οἰκήσωμεν (20).

ὀψόμεθα δὲ τὴν πόλιν διπλασίας μὲν ἢ νῦν τὰς προσόδους λαμβάνουσαν (21).

τὸ δὲ μέγιστον, συμμάχους ἕξομεν ἅπαντας ἀνθρώπους (21).

Quibus ex dictis sequitur, ut socii seditiosi liberi non sint, quare oratio περὶ εἰρήνης ante, non post pacem factam composita est.

Contra Benselerum et qui eum sequuntur plurimos iam afferam alios locos, qui populi Atheniensis animos summa belli alacritate excitatos esse[5] demonstrant; qua de causa cum Benselero[6] pacem iam confectam esse contendere non licet. Nam, quae Isocrates in orationis priore potissimum parte de Atheniensium animis ad bellum suscipiendum gerendumque alacerrimis profitetur, cum ab exitu belli socialis tum a tempore, quod est post pacem, valde abhorrent.

Scimus ex eis, quae commentationis initio scripsimus[7], litteris a rege Persarum post auxilium a Charete Artabazo seditioso

---

[1] p. 198.

[2] Euler, p. 8 sq.; cfr. H. Rohde, De Atheniensium imperio quid quinto quartoque a. Chr. n. saeculo sit iudicatum, Diss. Gottingae 1913, p. 66 adnot. 1.

[3] K. W. Krüger, Griechische Sprachlehre für Schulen[5] I 2 (Syntax), Berlin 1873, p. 168.

[4] Cfr. Oncken, p. 121: „Der Aorist γνωσθέντα bedeutet das Gewünschte in Gedanken als bereits geschehen vorausgesetzt und heißt soviel als wenn wir läsen: ὧν ἂν νῦν περὶ τῆς εἰρήνης γνῶμεν." Cfr. Drerup, p. CLIII; Mesk, p. 3.

[5] Cfr. Oncken, p. 123 sq.

[6] p. 200. [7] p. 17.

latum Athenas missis effectum esse, ut Athenienses, etiamsi antea ad bellum gerendum promptissimi erant, bello exeunte pacem facere properarent neque ullo modo de bello ducendo cogitarent. — Rebus ita se habentibus hanc orationem, si bello exeunte edita esset, Atheniensium animos litteris regis Persarum immutatos praebere opus esset. Quod sine dubio Isocrati optimum et efficacissimum fuisset argumentum. Neque quicquam de pacis cupiditate populi comperimus; immo omnes fere Athenienses belli cupidi sunt. Iam orationis initio Isocratem stare contra populum intellegimus, qui nequaquam oratori aures praebet, at ita affectus est, ut oratoris vocem tolerare nolit:

῾Ορῶ δ' ὑμᾶς οὐκ ἐξ ἴσου τῶν λεγόντων τὴν ἀκρόασιν ποιουμένους, ἀλλὰ τοῖς μὲν προσέχοντας τὸν νοῦν, τῶν δ' οὐδὲ τὴν φωνὴν ἀνεχομένους[1].

Cuius rei rationem invenimus, quod Athenienses a viris eorum animis assentantibus corrupti oratores nisi pro bello loquentes audire nolunt:

ἐφ' οὓς καὶ νῦν τὸ πλῆθος αὐτῶν ἐρρύηκεν. πᾶσι γὰρ ἦν φανερόν, ὅτι μᾶλλον ἡσθήσεσθε τοῖς παρακαλοῦσιν ὑμᾶς ἐπὶ τὸν πόλεμον ἢ τοῖς περὶ τῆς εἰρήνης συμβουλεύουσιν[2].

Oratores mali Atheniensibus spem iniecerunt possessiones, quas prius habuissent, recuperaturos eos esse[3]. Quare complures Athenienses ad bellum tantopere excitati sunt, tamquam di ipsi victoriam hostium eis promisissent:

λίαν γάρ τινές μοι δοκοῦσιν ὡρμῆσθαι πρὸς τὸν πόλεμον, ὥσπερ οὐ τῶν τυχόντων συμβεβουλευκότων ἀλλὰ τῶν θεῶν ἀκηκοότες, ὅτι κατορθώσομεν ἅπαντα καὶ ῥᾳδίως ἐπικρατήσομεν τῶν ἐχθρῶν[4].

Pauci quidem bellum dissuadent, sed Athenienses bellicosi eos, qui eorum sententiis obsistunt, contemnunt[5] et odio afficiunt:

πρὸς μὲν τοὺς τῆς εἰρήνης ἐπιθυμοῦντας ὡς πρὸς ὀλιγαρχικοὺς ὄντας δυσκόλως ἔχομεν, τοὺς δὲ τὸν πόλεμον ποιοῦντας ὡς τῆς δημοκρατίας κηδομένους εὔνους εἶναι νομίζομεν[6].

---

[1] § 3. [2] § 5. [3] § 6. [4] § 8. [5] §§ 3. 9. 14.

[6] §§ 51. 14: Ἐγὼ δ' οἶδα μέν, ὅτι πρόσαντές ἐστιν ἐναντιοῦσθαι ταῖς ὑμετέραις διανοίαις, καὶ ὅτι δημοκρατίας οὔσης οὐκ ἔστι παρρησία, πλὴν ἐνθάδε μὲν τοῖς ἀφρενεστάτοις καὶ μηδὲν ὑμῶν φροντίζουσιν, ἐν δὲ τῷ θεάτρῳ τοῖς κωμῳδοδιδασκάλοις· ὃ καὶ πάντων ἐστὶ δεινότατον, ὅτι τοῖς μὲν ἐκφέρουσιν εἰς τοὺς ἄλλους Ἕλληνας τὰ τῆς πόλεως ἁμαρτήματα τοσαύτην ἔχετε χάριν, ὅσην οὐδὲ τοῖς εὖ ποιοῦσι, πρὸς δὲ τοὺς ἐπιπλήττοντας καὶ νουθετοῦντας ὑμᾶς οὕτω διατίθεσθε δυσκόλως ὥσπερ πρὸς τοὺς κακόν τι τὴν πόλιν ἐργαζομένους.

Alii oratores quam facillime gratiam populi bellicosi sibi comparare et Athenienses male deceptos ad bellum inflammare possunt[1]! Omnes Athenienses, sive senes sive iuvenes, alacritate belli maxime commoti sunt:

Θαυμάζω δὲ τῶν τε πρεσβυτέρων, εἰ μηκέτι μνημονεύουσι, καὶ τῶν νεωτέρων, εἰ μηδενὸς ἀκηκόασιν, ὅτι διὰ μὲν τοὺς παραινοῦντας ἀντέχεσθαι τῆς εἰρήνης οὐδὲν πώποτε κακὸν ἐπάθομεν, διὰ δὲ τοὺς ῥᾳδίως τὸν πόλεμον αἱρουμένους πολλαῖς ἤδη καὶ μεγάλαις συμφοραῖς περιεπέσομεν[2].

Athenienses bellum magnis calamitatibus se affecisse in memoriam non revocant, sed ad naves exstruendas et ad gravissima tributa subferenda animo alacri parati sunt:

ὧν ἡμεῖς οὐδεμίαν ποιούμεθα μνείαν ἀλλ' ἑτοίμως ἔχομεν, μηδὲν εἰς τοὔμπροσθεν ἡμῖν αὐτοῖς πράττοντες, τριήρεις πληροῦν καὶ χρημάτων εἰσφορὰς ποιεῖσθαι καὶ βοηθεῖν καὶ πολεμεῖν οἷς ἂν τύχωμεν, ὥσπερ ἐν ἀλλοτρίᾳ τῇ πόλει κινδυνεύοντες[3].

Omnes igitur loci allati[4] Athenienses de pace constituenda non cogitavisse — ut sub belli exitum — et Isocratem contra populum, qui ardentissimo animo studebat bello gerendo, concertare debere ostentant, quare Benseleri aliorumque sententiam optimo iure in dubium vocare possumus. Itaque περὶ εἰρήνης orationem neque post pacem factam neque sub belli infelicis exitum conscriptam esse certo iam concludere licet.

Gravissimum vero et firmissimum argumentum, quod contra Benselerum et alios viros doctos proferamus, in eo positum esse puto, quod Isocrates illas belli res, quae sine dubio, ut pax fieret, effecerunt, prorsus neglexit. Quodsi Isocrates, ut

---

[1] §§ 5. 9. 13. 124. [2] § 12.

[3] § 12.

[4] Optime iudicat Oncken, p. 125 sq.: „Einem Friedensschlusse nach einem beispiellos unglücklichen Kriege pflegen solche Stimmungen weder mittelbar noch unmittelbar voranzugehen. . . . und erwägen wir, daß gegen all diese zusammenstimmenden Zeugnisse nicht ein einziges sich aufbringen läßt, welches auch nur das Aufdämmern einer Hinneigung zu friedlicher Politik unter dem Volke und seinen Leitern von ferne anzeigt, so werden wir es ein für alle Mal aufgeben müssen, die Abfassung der Rede in eine Zeit zu versetzen, wo nach einem solchen Kriege ein solcher Friede bevorstand . . . war die Macht der Kriegspartei, der Redner und der Condottieren gebrochen, wie es im Jahr 355 wirklich der Fall war, so durfte er nicht in dem Tone hoffnungsloser Opposition sprechen, er mußte vielmehr triumphierend auftreten und das Scheitern ihrer Entwürfe als schlagenden Beweis für die Richtigkeit seiner Ansicht anführen."

affirmat, pacem suadere in animo habebat[1], illas res, quae ad pacem faciendam maxime erant idoneae, afferre sane debebat.

Isocrates enim regis Persarum interventum[2], qui Athenienses pacem facere coegit, non commemorat. Quodsi Isocrates, postquam rex Persarum intervenit, περὶ εἰρήνης orationem composuisset, hoc argumentum certe protulisset, quoniam in Areopagitico postea confecto de regis Persarum minis commonefacit[3]. Oratorem, qualis erat Isocrates, qui tam studiose omnes eloquentiae artes conquirit, ut Atheniensibus, quantopere pacem facere opus sit, persuadeat, has ipsas res praetermisisse comprehendere non possumus[4]. An quisquam dubitat, quin Isocrates argumenta, quae oratori ipsi maxime idonea erant neque quibus ullus Atheniensis contradicere poterat, neglexerit! Isocrates igitur interventum regis Persarum non affert, quod, quo tempore haec oratio composita est, Athenienses litteras minaces non acceperunt.

Postremo alio quoque argumento orationem περὶ εἰρήνης inscriptam neque exeunte bello neque post pacem conscriptam esse confirmatur, quod hac in oratione Timothei accusatio commemorata non est[5]. A Diodoro enim certiores fimus tres imperatores Iphicratem, Menestheum, Timotheum, quod pugnae apud Embatam commissam non interfuissent, Charete auctore amotos et ab Aristophonte proditionis esse accusatos[6].

Omnia argumenta a me iam collata, quae bellum ortum, sociis seditiosis libertatem non concessam, animos Atheniensium magnopere commotos esse, Isocratem ultimas belli res neglexisse perspicue ostendunt, tempus prius, quo oratio περὶ εἰρήνης inscripta confecta sit, postulant. — Ergo Isocrates hanc orationem neque sub belli exitum neque post pacem anni 355 conscripsit.

---

[1] § 18. [2] Cfr. supra p. 17. [3] §§ 8. 10. 81.

[4] Cfr. Drerup, p. CLIII; Münscher, 2205; Mesk, p. 6: „Der Friedensredner Isokrates mußte doch, sollte man meinen, die drohende Gefahr in seinem Sinne verwerten und die Dinge in ihrer wahren Gestalt und im rechten Lichte zeigen. Daß er es nicht tut, beweist, daß er es nicht tun konnte, d. h., wie schon Oncken richtig gesehen hat, daß die Friedensrede weder in der Wirklichkeit noch in der Fiktion dem endgültigen Friedensschluß unmittelbar vorausgehen kann, sich also auch nicht als bei den entscheidenden Verhandlungen Ende 355 gehalten gibt; Mathieu, p. 116.

[5] Cfr. Oncken, p. 129.

[6] Cfr. supra p. 14 sq. De Timotheo accusato in tertia commentationis parte disputabimus.

§ 3.

Num oratio medio bello sociali edita sit.

Cum περὶ εἰρήνης oratio neque initio neque sub belli exitum composita esse possit, tempore, quod est inter initium belli et eius exitum, eam editam esse consentaneum est.

Neque Meski[1] neque Drerupi[2] opinio, qui Isocratem περὶ εἰρήνης orationem post proelium navale apud Embatam commissum scripsisse censent, verisimilis esse mihi videtur.

Post pugnam enim apud Embatam factam bellandi orta est mora pecuniarum inopia effecta, quam Mesk „Stagnationsperiode" vocat[3]. Mercennariis Atheniensium merces non erat, quare sua sponte victum sibi parabant[4] et brevi post Artabazo militias faciebant. Tempori, haec est Meski opinio, quod fuerit inter pugnam apud Embatam commissam et agmen a Charete pro Artabazo, satrapa seditioso, susceptum, res militares et quae orator de Atheniensium animis excitatis proferat, optime convenire. „Es ist die Zeit", inquit, „vom Herbste 356 bis etwa Sommer oder Herbst 355, ein ganzes taten- und erfolgloses Jahr, gegen Ende durch die Ausschreitungen und ungestümen Forderungen der Söldner gekennzeichnet[5]."

Mesk Onckeni aggreditur sententiam, quae accusatione Timothei non commemorata nitebatur. Quod Mesk repudiat sentiens[6] defensionem amici accusati expectandam non fuisse. Timotheum tot verbis celebrare, quot in oratione περὶ ἀντιδόσεως inscripta, περὶ εἰρήνης orationi neque aptum neque accomodatum fuisse, immo Timothei laudatione recepta futurum fuisse, ut totius orationis compositio dissolveretur ac deleretur; utique Isocratem pro Timotheo dicturum esse non expectari.

Sed Meski opinio falsa mihi videtur. Equidem Isocratem Timothei accusationem, si iam ante orationis compositionem facta esset, certe commemoraturum et Timotheum paucis[7] quidem verbis defensurum fuisse puto. Nam Timotheus ipse ad alterum foedus maritimum instaurandum plurimum valuerat[8].

[1] p. 1 sqq. [2] p. CLIII sq. [3] p. 11.

[4] Lampsacum et Sigeum urbes diripuerunt; cfr. supra p. 16.

[5] p. 11. [6] p. 4 sq.

[7] „Eine so ausführliche Würdigung des Mannes", ut Mesk (p. 5) vult, opus non erat.

[8] Cfr. Rehdantz, p. 64 sq.; Busolt, p. 760 sq.; Schäfer, p. 45; Meyer, p. 395 sq.; Beloch, Griechische Geschichte III 1, p. 154 sq.

Inde ab annis 378/77, quando hoc foedus initum erat, expeditionibus per mare Ionicum et ad Cherronesi oras feliciter susceptis permultos socios Atheniensibus subegerat, ut paucis annis post plurimae Graecorum civitates insulaeque ad Atheniensium societatem se adiungerent. Diodorus[1] septuaginta urbes profert, cum Aeschines[2] orator septuaginta quinque urbes foederatas fuisse, quas Timotheus adegerit, scribat[3]. Timotheus vero hoc perficere poterat, quod animo omnibus ab iniuriis alieno[4] sociis semper benevolentiam praestabat, quare apud foederatos summas consecutus est laudes. Ob haec summa de hoc foedere merita Athenienses praeclarum illum imperatorem, quo ipso tempore societas dilabebatur, sine dubio copiis praefecerunt spe ducti eum, qui foedus constituisset, odium invidiamque sociorum potentissimorum molliturum eosque recuperaturum esse. Quod impetu Charetis praepropero ad irritum cecidit et Timotheo ipsi crimen assignatum est.

Nescio an Isocrates, cum Athenienses scirent, quantopere clarissimus ille dux de foedere ineundo meritus esset, haec crimina facile revincere potuerit. Quod orator ipse, cum oratores crimina in Timotheum sevissent, fieri posse censet in περὶ ἀντιδόσεως oratione dicens[5]: οἶμαι γὰρ ἂν ὑμᾶς ἀκούσαντας μισῆσαι τούς τε προαγαγόντας τὴν πόλιν ἐπὶ τὴν ὀργὴν τὴν πρὸς ἐκεῖνον καὶ τοὺς φλαῦρόν τι περὶ αὐτοῦ λέγειν τολμῶντας. — Sed etsi Isocrates, quod populus litteris mendacibus a Charete missis fidem habuit, tum crimen facile diluere non potuit, orator Timotheum, cum ab eo staret, certe defendisset. Quod meo quidem iudicio difficile non erat. Nam, cum Isocrates in περὶ εἰρήνης oratione de bellorum miseriis et pacis commodis[6] edocturus sit, proelium apud Embatam infeliciter commissum — promptissimum eo tempore belli adversi exemplum — commemorare peropportunum erat. Quae cum ita essent, facile etiam Charetem ipsum, cladis auctorem primum, populares de vera pugnae culpa admonens nominare potuit. Praesertim cum illum ducem acerrime aggressurus esset, Atheniensibus sane persuadere conari potuit, ea quae Timotheus gesturus esset, sine dubio ut prioribus temporibus optime etiam tum eventura fuisse — haec fuisset aptissima defensio —, nisi Chares con-

---

[1] XV 30, 2. [2] II 70; cfr. Isocr. VII 12.

[3] Isocrates ipse in περὶ ἀντιδόσεως oratione (§ 113) Timotheum viginti quatuor urbes subegisse dicit.

[4] Cfr. supra p. 13. [5] § 139. [6] §§ 12, 19—22.

siliis trium ducum restitisset. Timothei defensio igitur hanc περὶ εἰρήνης orationem non diruisset, immo orationi bene accomodata fuisset, cum orator, de quibus hac in oratione disputat, exemplo illo efficacissimo utens explanare et confirmare potuisset. Neque, ubi orator in Symmachico de sociis bene habendis dicit[1], Timothei exemplum non expectamus. Quare Meski verba[2] falsa esse mihi videntur.

Isocrates vero Timotheum certo defendisset, quod non modo eius assectator, sed Timothei amicissimus erat. Apud Ps.-Plutarchum[3] legimus inter eos, qui Isocratis oratoris auditores fuissent, Timotheum, Cononis filium, fuisse et Isocratem cum Timotheo multas adisse[4] civitates litteras, quas dux Athenas mitteret, componentem. Eodem loco Ps.-Plutarchus Timotheum talento e praeda in insula Samo capta Isocratem magistrum donavisse profert; deinde Eleusine Isocrati statuam a discipulo positam esse[5]. Timothei de amicitia Isocrates ipse in περὶ ἀντιδόσεως oratione permultis pulcherrimisque refert verbis[6], ubi gravissimi in amicum officii sibi conscius est. Itaque, cum Isocrates Timotheo familiarissime uteretur, si tempore orationis edendae iam accusatus esset, amici defensionem sine ullo dubio non ne-

---

[1] Cfr. Oncken, p. 130.

[2] p. 5: ,,Nun lag aber in dem vorausgesetzten Falle die Verteidigung des angeklagten Freundes, denn darauf wäre es bei der Erwähnung des Prozesses doch abgesehen gewesen, keineswegs so nahe. Eine so ausführliche Würdigung des Mannes wie in der Antidosis hätte in den Rahmen der Friedensrede nicht gepaßt, ja sie hätte ihn gesprengt; jedenfalls vermißt man das Eintreten für Timotheus nicht.“

[3] Vit. X oratt. p. 837 c.

[4] Isocratem annis 376/5 Timotheum Peloponnesum circumvehentem comitatum esse censeo; cfr. Münscher, 2189; Drerup, Philol. 54 (1895), p. 639; Kessler, p. 26. Nuper E. Bickermann et I. Sykutris (Sitzb. Akad. Leipzig, phil.-hist. Kl. LXXX (1928), 3, p. 36) ad epistulae Socraticae 30, 13 verba, ubi Isocratis itinera commemorantur, adnotant: ,,Das war aber gerade die Zeit, als einerseits für die Athener πάντ᾿ ἦν ᾿Αλέξανδρος (Dem. 23, 120. Vgl. Plut. Pelop. 31) und anderseits Isokrates seinen Lieblingsschüler Timotheos 366/5 auf dessen Feldzug gegen den Großkönig begleitete und für ihn Kriegsbulletins redigierte.“ Sed Isocratem, qui Panegyrico edendo ad societatem alteram faciendam plurimum valuerat (cfr. U. v. Wilamowitz-Moellendorff, Aristoteles und Athen II, Berlin 1893, p. 381: ,,ohne diese bearbeitung der öffentlichen meinung wäre die stiftung des zweiten seebundes schlechthin undenkbar gewesen“) paulo post foedus initum cum Timotheo multas Graecorum civitates obisse verisimilius esse videtur.

[5] Vit. X oratt. p. 838 d.

[6] XV 101—106; cfr. Rehdantz, p. 180 sq.

glexisset. Quod vero Oncken[1] e περὶ ἀντιδόσεως verbis[2] dilucide patere censet Symmachicum ante Timothei causam compositam esse, dubium est, an Isocrates his verbis se prius Timotheum defendere non potuisse dicere velit[3]. Quae verba ad priora tempora pertinere opus non est. Cum autem Isocrates neque pugnam apud Embatam factam neque crimina Timotheo data commemoret, Symmachicum ante proelium navale et ante causam illam actam confectum esse iure concludimus.

Sed Mesk sic pergit: „Man war in Athen über den entgangenen Sieg und den angenommenen Verrat entrüstet; da mochte sich der Redner, falls der Prozeß, als er die Friedensrede schrieb, noch jungen Datums war, wohl hüten, daran zu erinnern[4].“

Neque vero Isocratem tunc temporis dubitavisse de accusatione admonere pro certo habeo. Contra populi enim factionem totam per orationem certat. Pro pace facienda[5] et de imperio maris dimittendo[6] loqui audet, quamquam in populi summum odium incurrit. Athenienses eis, qui vituperant et monent, tam infensi sunt, quam illis qui contra civitatem faciunt:

ὃ καὶ πάντων ἐστὶ δεινότατον, ὅτι τοῖς μὲν ἐκφέρουσιν εἰς τοὺς ἄλλους Ἕλληνας τὰ τῆς πόλεως ἁμαρτήματα τοσαύτην ἔχετε χάριν, ὅσην οὐδὲ τοῖς εὖ ποιοῦσι, πρὸς δὲ τοὺς ἐπιπλήττοντας καὶ νουθετοῦντας ὑμᾶς οὕτω διατίθεσθε δυσκόλως ὥσπερ πρὸς τοὺς κακόν τι τὴν πόλιν ἐργαζομένους[7].

Qui pacis sunt cupidi, magno in odio apud populum sunt:

πρὸς μὲν τοὺς τῆς εἰρήνης ἐπιθυμοῦντας ὡς πρὸς ὀλιγαρχικοὺς ὄντας δυσκόλως ἔχομεν, τοὺς δὲ τὸν πόλεμον ποιοῦντας ὡς τῆς δημοκρατίας κηδομένους εὔνους εἶναι νομίζομεν[8].

---

[1] p. 131 sq.

[2] § 139: τοιγαροῦν οἱ μὲν ῥήτορες ἔργον εἶχον αἰτίας περὶ αὐτοῦ πολλὰς καὶ ψευδεῖς πλάττειν, τὸ δὲ πλῆθος ἀποδέχεσθαι τὰς ὑπὸ τούτων λεγομένας· οἶμαι γὰρ ἂν ὑμᾶς ἀκούσαντας μισῆσαι τούς τε προαγαγόντας τὴν πόλιν ἐπὶ τὴν ὀργὴν τὴν πρὸς ἐκεῖνον καὶ τοὺς φλαῦρόν τι περὶ αὐτοῦ λέγειν τολμῶντας.

[3] Mesk, p. 5 adnot. 1; Münscher, Xenophon in der griech.-röm. Literatur, p. 17 adnot. 3.

[4] p. 5.

[5] §§ 18. 72. 142.

[6] §§ 30. 101. 138. 142.

[7] § 14; cfr. §§ 38. 39. 65: οἶδα μὲν οὖν, ὅτι χαλεπόν ἐστι δυναστείας ὑπὸ πάντων ἐρωμένης καὶ περιμαχήτου γεγενημένης κατηγοροῦντα δοκεῖν ἀνεκτόν τι λέγειν.

[8] § 51; cfr. § 80: εἰώθατε γὰρ μισεῖν οὐχ οὕτω τοὺς αἰτίους τῶν ἁμαρτημάτων ὡς τοὺς κατηγοροῦντας αὐτῶν.

Si igitur, ut Mesk profitetur, Isocrates longe aberat, ut accusationis Timothei commonefaceret, cum populus Atheniensis ea re magnopere commotus esset, eodem iure concludere possumus oratori pro pace et de imperio maris loqui non licuisse, cum re vera, ut ex oratione elucet, populus verbis Isocratis valde offensus sit. — Sane inimicum populi haberi[1] et cupiditatibus Atheniensium resistere difficile esse[2] Isocrati persuasum est:

Ἐγὼ δ' οἶδα μέν, ὅτι πρόσαντές ἐστι ἐναντιοῦσθαι ταῖς ὑμετέραις διανοίαις, καὶ ὅτι δημοκρατίας οὔσης οὐκ ἔστι παρρησία . . .

Neque tamen ab ea, quam in animo habet, sententia desistere vult, sed quae sentit, quamquam populo intoleranda[3] esse videntur, Athenienses haud blandiens docturus est:

ὅμως δὲ καὶ τούτων ὑπαρχόντων οὐκ ἂν ἀποσταίην ὧν διενοήθην. παρελήλυθα γὰρ οὐ χαριούμενος ὑμῖν οὐδὲ χειροτονίαν μνηστεύσων ἀλλ' ἀποφανούμενος . . .[4]

Magnam igitur Isocratis audaciam optimo iure admiramur. Sane libera lingua uti veritus non est, quamquam populus talem oratorem sibi contradicentem summo persequebatur odio. — Quid igitur, quod Timotheum accusatum attinet, expectamus? An quisquam dubitat, quin Isocrates, qui contra populum magnopere iniquum pro pace ceterisque illis rebus verba facere audet, Timotheum familiarissimum defendere non praetermiserit! Meo quidem iudicio Isocrates defensione Timothei populum, qui hos duos viros amicitia inter se coniunctos esse non ignorabat et ob eam rem Isocratem pro amico dicturum esse expectabat, minus quam verbis de pace dictis excitavisset. Quare verba Meski rebus non convenire mihi videntur.

Accedit, quod Isocrates auram popularem contemnens Atheniensibus peccata, quae ad populi assentatores pertinent, crimini dat. Itaque Charetem ipsum, etiamsi nomine eius non utitur[5], accusare audet, quamquam populus, qui ab eo stabat, iure id aegre erat laturus. Nullis verborum contumeliis de oratoribus pro Charetis rebus apud Athenienses verba facientibus parcit. Appellat eos: τοὺς πονηροτάτους — τοὺς μεθύοντας — τοὺς

---

[1] § 38. [2] § 14. [3] § 65.

[4] § 15; cfr. § 81: τοιαύτην οὖν ὑμῶν γνώμην ἐχόντων δέδοικα, μὴ πειρώμενος ὑμᾶς εὐεργετεῖν αὐτὸς ἀπολαύσω τι φλαῦρον. οὐ μὴν ἀποστήσομαι παντάπασιν ὧν διενοήθην, ἀλλὰ τὰ . . .

[5] Cfr. Arist. Rhet. III 17 p. 1418a: Ἰσοκράτης κατηγορεῖ Χάρητος ἐν τῷ Συμμαχικῷ.

νοῦν οὐκ ἔχοντας[1] — τοὺς ἀφρονεστάτους[2] — συμβούλους, ὧν οὐκ ἔστιν ὅστις οὐκ ἂν καταφρονήσειεν[3]. — Multis aliis orationis locis his de oratoribus dicit verbis ingenuis:

ὃ δὲ πάντων σχετλιώτατον· οὓς γὰρ ὁμολογήσαιμεν ἂν πονηροτάτους εἶναι τῶν πολιτῶν, τούτους πιστοτάτους φύλακας ἡγούμεθα τῆς πολιτείας εἶναι· καὶ τοὺς μὲν μετοίκους τοιούτους εἶναι νομίζομεν, οἵους περ ἂν τοὺς προστάτας νέμωσιν, αὐτοὶ δ' οὐκ οἰόμεθα τὴν αὐτὴν λήψεσθαι δόξαν τοῖς προεστῶσιν ἡμῶν[4]. — Ὧν ἐνθυμουμένους χρὴ μὴ προσέχειν τὸν νοῦν τοῖς ἐν παρόντι μὲν χαριζομένοις, τοῦ δὲ μέλλοντος χρόνου μηδεμίαν ἐπιμέλειαν ποιουμένοις, μηδὲ τοῖς φιλεῖν μὲν τὸν δῆμον φάσκουσιν, ὅλην δὲ τὴν πόλιν λυμαινομένοις[5]. — Ἀλλ' ὅμως τηλικούτων ἡμῖν ὑπομνημάτων καταλελειμμένων, ὡς ἐφ' ἑκατέρων αὐτῶν ἡ πόλις ἔπραττεν, οὕτω χαίρομεν ταῖς τῶν ῥητόρων πονηρίαις, ὥσθ' ὁρῶντες διὰ τὸν πόλεμον καὶ τὰς ταραχάς, ἃς οὗτοι πεποιήκασι, τῶν μὲν ἄλλων πολιτῶν πολλοὺς ἐκ τῶν πατρῴων ἐκπεπτωκότας, τούτους δ' ἐκ πενήτων πλουσίους γεγενημένους, οὐκ ἀγανακτοῦμεν, οὐδὲ φθονοῦμεν ταῖς εὐπραγίαις αὐτῶν, ἀλλ' ὑπομένομεν τὴν μὲν πόλιν διαβολὰς ἔχουσαν, ὡς λυμαίνεται καὶ δασμολογεῖ τοὺς Ἕλληνας, τούτους δὲ τὰς ἐπικαρπίας λαμβάνοντας, καὶ τὸν μὲν δῆμον, ὅν φασιν οὗτοι δεῖν τῶν ἄλλων ἄρχειν, χεῖρον πράττοντα τῶν ταῖς ὀλιγαρχίαις δουλευόντων, οἷς δ' οὐδὲν ὑπῆρχεν ἀγαθόν, τούτους δὲ διὰ τὴν ἄνοιαν τὴν ἡμετέραν ἐκ ταπεινῶν εὐδαίμονας γεγενημένους[6]. — Θαυμάζω δ' εἰ μὴ δύνασθε συνιδεῖν, ὅτι γένος οὐδέν ἐστι κακονούστερον τῷ πλήθει πονηρῶν ῥητόρων καὶ δημαγωγῶν[7].

Quae verba sine dubio ad Charetem quoque pertinebant, quod oratores pro hoc duce gratiam populi sibi comparare studebant. Chareti ipsi populum corrupisse[8] opprobrat eumque numerat inter

---

[1] § 13. [2] § 14. [3] § 52.

[4] § 53; cfr. § 36: διεφθάρμεθα γὰρ πολὺν ἤδη χρόνον ὑπ' ἀνθρώπων οὐδὲν ἀλλ' ἢ φενακίζειν δυναμένων, οἳ τοσοῦτον τοῦ πλήθους καταπεφρονήκασιν, ὥσθ' ὁπόταν βουληθῶσι πόλεμον πρός τινας ἐξενεγκεῖν, αὐτοὶ χρήματα λαμβάνοντες λέγειν τολμῶσιν, ὡς χρὴ τοὺς προγόνους μιμεῖσθαι, καὶ μὴ περιορᾶν ἡμᾶς αὐτοὺς καταγελωμένους, μηδὲ τὴν θάλατταν πλέοντας τοὺς μὴ τὰς συντάξεις ἐθέλοντας ἡμῖν ὑποτελεῖν.

[5] § 121; cfr. § 122.

[6] §§ 124—125.

[7] § 129; cfr. §§ 4. 5. 41. 130.

[8] § 50: πλείστους δὲ τιθέμενοι νόμους οὕτως ὀλίγον αὐτῶν φροντίζομεν, ἓν γὰρ ἀκούσαντες γνώσεσθε καὶ περὶ τῶν ἄλλων, ὥστε θανάτου τῆς ζημίας ἐπικειμένης, ἤν τις ἁλῷ δεκάζων, τοὺς τοῦτο φανερώτατα ποιοῦντας στρατηγοὺς χειροτονοῦμεν, καὶ τὸν πλείστους διαφθεῖραι τῶν πολιτῶν δυνηθέντα, τοῦτον ἐπὶ τὰ μέγιστα τῶν πραγμάτων καθίσταμεν.

homines malevolos[1], qui nil nisi decipere possint[2]. Quocum nemo de rebus privatis publicisque consultabit, eum summo cum imperio copiis praeficimus[3].

Quibus verbis contra oratores et populi bellicosi ducem factis plebs sine dubio maxime morsus est. Iterum interrogo, quid, quod Timotheum accusatum attinet, expectas? Num Isocrates, qui summa audacia Charetem plebisque concitatores aggreditur, quamquam populus id in malam partem accipiebat, amicissimum defendere dubitavisset! Hoc modo meo iudicio plebs multo minus laesus esset quam dictis protervis Charetem assectatoresque incessendo.

Deinde Isocrates Charetem pugnae adversae apud Embatam factae non accusat, quam, si tempore orationis edendae iam commissa esset, commemorare non omisisset, quoniam orator hoc modo argumentum valentissimum nactus esset. Iam Benseler[4] Isocratem multis orationis locis Charetem opprobriis insectantem Timotheum satis defendisse dixerat. Quod mihi minime placet. Nam, si Isocrates amicum re vera defendere voluit, non intellego, quare Chareti pugnam infelicem obicere omiserit. Certe hoc efficacissimo argumento usus apertis verbis pro Timotheo locutus esset, praesertim cum Athenienses crimen proditionis Timotheo datum capite multare consuevissent.

Postremo, quod, quo tempore oratio composita est, populus ad bellum magnopere excitatus erat, Meski opinioni valde repugnat, qui illis temporibus, quibus bellum intermissum sit, socios legatos Athenas misisse verisimile esse censet[5], quod

---

[1] § 129. [2] § 36.

[3] § 55: οἷς μὲν γὰρ περὶ τῶν μεγίστων συμβούλοις χρώμεθα, τούτους μὲν οὐκ ἀξιοῦμεν στρατηγοὺς χειροτονεῖν ὡς νοῦν οὐκ ἔχοντας, οἷς δ'οὐδεὶς ἂν οὔτε περὶ τῶν ἰδίων οὔτε περὶ τῶν κοινῶν συμβουλεύσαιτο, τούτους δ'αὐτοκράτορας ἐκπέμπομεν ὡς ἐκεῖ σοφωτέρους ἐσομένους καὶ ῥᾷον βουλευσομένους περὶ τῶν Ἑλληνικῶν πραγμάτων ἢ περὶ τῶν ἐνθάδε προτιθεμένων.

[4] p. 202: „Doch, wenn man auch dies nicht annimmt, so liegt ja schon in den heftigen Angriffen auf Chares, der den Timotheus verleumdet hatte, eine genügende Vertheidigung seines Freundes . . .“

[5] p. 12: „Da mußte Athen den ersten Schritt tun; anders in der Zeit des Stillstandes, wo der Krieg an einem toten Punkt angelangt und ein Ende nicht abzusehen war. Damals konnten die Bundesgenossen, nachdem sich Athen unfähig gezeigt hatte, den Aufstand niederzuwerfen, den Versuch wagen, eine gütliche Regelung der Streitfrage mit Aussicht auf Erfolg anzuregen, und zu diesem Behufe Gesandte schicken. Dieses Vorgehen konnte aber in Athen eben die Stimmung auslösen, die uns in der Friedensrede geschildert wird.“

Atheniensium animi tunc parati fuissent ad contentionem cum sociis componendam. — Quae sententia discrepat cum alacri, qui hac in oratione describatur, Atheniensium animo atque ad bellandum parato.

Tanta vero alacritate illis belli temporibus populus Atheniensium nullo modo esse poterat. Nam quid Atheniensibus contigerat? Nihil consecuti erant; socii econtra superiores fuerant. Initio belli Chabria occiso certamen, ut ita dicam, iniquum factum erat. Chares impetum in Chium facere destiterat. Socii autem, qui in seditione erant, postquam Lemnum Imbrumque Atheniensium insulas populati et Samum aggressi sunt, e pugna apud Embatam commissa superiores discesserant. Quare tanta alacritate, quantam Isocrates Athenis fuisse describit, meo iudicio illis post pugnam apud Embatam factam temporibus socii at non Athenienses inflammati esse poterant. Post has res adversas plerique Atheniensium belli tam cupidi sine dubio non erant, ut perpauci pacis amantes eis obsisterent, neque oratores mali tantam tum auctoritatem habere poterant quantam bello dudum exorto.

Etiam quod Mesk de legatis a sociis bello intermisso missis profert, falsum esse mihi videtur. Nam post pugnam apud Embatam factam socii, quod legatos mitterent, nihil sane habebant. Itaque nobis refutanda est sententia Drerupi, qui dicit[1]: „Sumas igitur post pugnam navalem anni 356 incertam, quae sociis seditiosis potestatem Atheniensium nondum fractam esse ostenderat, de pace facienda Athenis per legatos actum esse; tunc vero Isocratem oratione de pace emissa, qua Eubuli partes paci utcumque faventes amplexus est (cfr. Schol. Demosth. III 28 p. 133 D), de pace aequis conditionibus cum sociis ineunda cives adhortatum esse." — Quae pugna, cum ancipiti Marte esset pugnatum, meo iudicio frustra libertati se studuisse et pacem petere debere, ut putarent, hostes commovere non poterat[2].

Neque posteriores illi legati, de quibus Mesk cogitat, mihi placent, quia eos Athenas mitti necessarium sane non erat. Ad libertatem enim adipiscendam socii foedus cum Atheniensibus olim factum solverant et hoc ipso tempore eam recuperaturi esse videbantur[3]. Nam Chares nullam post pugnam navalem anni 356

[1] p. CLIII sq.

[2] Cfr. Mesk, p. 9.

[3] Cum, quibus e civitatibus legati missi sint, nesciamus, eos ab Isocrate fictos

rem susceperat ipsos in socios, sed ab eis discedens in Asiam se contulerat. Quare socii, etiamsi pax non erat, liberi, ut ita dicam, iam tum erant. Praeterea regem Persarum sibi opem laturum esse seditiosos persuasum habuisse opinor. De sociorum legatis igitur Athenas missis, quo tempore res sociorum tam secundae quam nunquam antea erant, cogitare non licet.

Omnibus argumentis, quae ad Meski sententiam refutandam attulimus, meo iudicio περὶ εἰρήνης orationem non post, sed ante pugnam apud Embatam factam compositam esse probatur. Qua de causa Münscherum sequor, qui in commentatione subtilissima scribit[1]: „Als Isokrates schreibt, ist noch nichts Entscheidendes geschehen: von Artaxerxes' Brief, vom Siege des Chares und Artabazos, von der versäumten Seeschlacht, von der Verurteilung des Timotheos, ja von seiner Aussendung ist nirgends die Rede (in seiner Antidosis 139 bedauert Isokrates, früher keine Gelegenheit gehabt zu haben, für Timotheos einzutreten, also war dessen Sturz sicher noch nicht erfolgt, als Isokrates die Friedensrede schrieb[2])."

§ 4.

Orationem initio anni 356 compositam esse.

Quamquam ea, de quibus in tribus commentationis partibus disseruimus, περὶ εἰρήνης orationem primo belli socialis anno (sc. inde ab autumno anni 357 usque ad aestatem anni 356) confectam esse probant, hoc editionis tempus aliis argumentis ex oratione ipsa collectis confirmare conabor.

Primum Atheniensium belli alacritatem, de qua supra iam longius dixi[3], iterum commemorare mihi licebit.

Bellum sociale, quod vocant, anno 357 exarsit. Initio anni 356 pugna apud Chium commissa est, in qua Chares nihil profecit, Chabrias fortiter pugnans interfectus est. Quo facto Athenienses denuo bellum parabant[4]. — Nullum sane temporis momentum loci, quod supra attulimus, significant nisi primum belli annum, quo Atheniensibus bellum omni modo omnique studio erat

esse puto (cfr. Münscher, P.-W. IX, 2205), quamquam Schäfer, Blass, Drerup, Mesk legatos a sociis re vera missos esse censent. Oncken de Charetis vel sociorum legatis cogitat.

[1] P.-W. IX, 2205; Berl. phil. Woch. 32 (1912), 195.

[2] Cfr. supra p. 31. [3] Cfr. p. 24. sq. [4] Cfr. supra p. 11.

parandum et seditionem civitati foederique maritimo periculosissimam opprimere opus erat. Sexaginta naves, ut Diodorus tradit, novas ornaverunt. Sed cum iis tunc temporis classis centum viginti navium praesto esset, Athenienses alacerrimo fuisse animo facile est intellectu. Ergo quod Isocrates his in paragraphis supra allatis de primo belli anno (357/356) dicit, oratio quoque eo tempore confecta esse videtur.

Accedit, quod Aristoteles iam dixit[1] Isocratem hac in περὶ εἰρήνης oratione Charetem reprehendere, quamquam orator nullo quidem loco nomen Charetis profitetur, sed oratores quosdam identidem accusat[2]. Quae cum ita sint, paragraphum 50 ad Charetem spectare patet. Quo loco Isocrates dicit:

πλείστους δὲ τιθέμενοι νόμους οὕτως ὀλίγον αὐτῶν φροντίζομεν, ἓν γὰρ ἀκούσαντες γνώσεσθε καὶ περὶ τῶν ἄλλων, ὥστε θανάτου τῆς ζημίας ἐπικειμένης, ἥν τις ἁλῷ δεκάζων, τοὺς τοῦτο φανερώτατα ποιοῦντας στρατηγοὺς χειροτονοῦμεν, καὶ τὸν πλείστους διαφθεῖραι τῶν πολιτῶν δυνηθέντα, τοῦτον ἐπὶ τὰ μέγιστα τῶν πραγμάτων καθίσταμεν.

Chares enim primo belli anno solus imperator erat, qui bellum contra Chium suscipiebat gerendum. Re vera expeditioni praeerat, cum Chabrias, qui illum navibus adiuvabat, summam imperii non teneret[3]. Quare etiam haec verba ἐπὶ τὰ μέγιστα τῶν πραγμάτων καθίσταμεν ad idem tempus (357/356) pertinere mihi videntur.

Secundem Demosthenem[4] vero Chares στρατηγὸς αὐτοκράτωρ brevi ante bellum sociale ortum in Cherronesum missus est[5]. Etiam primo belli anno στρατηγὸς αὐτοκράτωρ exercitui contra eos, qui defecerant, emisso praeerat. Ad hoc tempus verba, quibus Isocrates in paragrapho 55 utitur, pertinere opinor, ubi orator scribit:

οἷς δ' οὐδεὶς ἂν οὔτε περὶ τῶν ἰδίων οὔτε περὶ τῶν κοινῶν συμβουλεύσαιτο, τούτους δ' αὐτοκράτορας ἐκπέμπομεν ὡς ἐκεῖ σοφωτέ-

---

[1] Cfr. Rhet. III 17 p. 1418 a.

[2] Cfr. §§ 3. 5. 9. 10. 13. 14. 36. 52. 75. 121. 122. 124. 129. 141.

[3] Cfr. supra p. 10 adnot. 4.

[4] XXIII 173: ἐκπεπλευκότων δὲ τῶν πρέσβεων συμβαίνει τοῖς χρόνοις εἰς τοῦθ' ὑπηγμέν' ἤδη τὰ πράγματα, τριβόντων τούτων καὶ οὐδὲν ἁπλοῦν οὐδὲ δίκαιον ὑμῖν ἐθελόντων πρᾶξαι, ὥστ' ἐβοηθοῦμεν εἰς Εὔβοιαν, καὶ Χάρης ἧκεν ἔχων τοὺς ξένους, καὶ στρατηγὸς ὑφ' ὑμῶν αὐτοκράτωρ εἰς Χερρόνησον ἐξέπλει. Cfr. Benseler, p. 320.

[5] Cfr. supra p. 9.

ρους ἐσομένους καὶ ῥᾷον βουλευσομένους περὶ τῶν Ἑλληνικῶν πραγμάτων ἢ περὶ τῶν ἐνθάδε προτιθεμένων.

Etiam haec verba belli initium indicant[1]:

μὴ γὰρ οἴεσθε μήτε Κερσοβλέπτην ὑπὲρ Χερρονήσου μήτε Φίλιππον ὑπὲρ Ἀμφιπόλεως πολεμήσειν, ὅταν ἴδωσιν ἡμᾶς μηδενὸς τῶν ἀλλοτρίων ἐφιεμένους.

Pugnae enim inter Cersobleptem et Charetem factae et Amphipolis urbs a Philippo occupata in belli socialis initium incidunt[2].

Cum igitur Isocrates multas res primo belli socialis anno gestas commemoret, orationem hoc tempore (357/356) compositam esse concludere possumus.

Cui orationis editae tempori loci, in quibus Isocrates de mercennariorum malitia et de belli damnis loquitur, non repugnant. Tempore enim, quod est ante bellum sociale ortum, iniuriae mercennariorum magnopere augebantur. Multos Graecos et cupiditate divitiarum et victus inopia permotos stipendia tum mercennariorum fecisse constat[3].

Etiam Athenienses mercennarios milites iam inde a temporibus belli Peloponnesiaci conducebant[4]. Quorum exercituum duces, cum saepe sine opibus mitterentur, sibi ipsi mercedem parare cogebantur. Quo de tempore Ed. Meyer iudicat[5]: „. . . alle Unternehmungen Athens tragen eben jetzt, wie schon zur Zeit Thrasybuls, im wesentlichen den Charakter eines Raubzuges, der sich in den folgenden Kriegen immer brutaler ausgeprägt hat; es war schon ganz gewöhnlich geworden daß die attischen Capitäne und ebenso die Söldner nebenbei etwas Piraterie gegen Freund und Feind trieben." — Nonne Isocrates de mercennariorum malitia similia narrat? Oppidis iniusta tributa (συντάξεις) imposita esse[6] dicit. Iniqua de mercennariis narrat in §§ 44—46. Athenienses

---

[1] § 22.

[2] Cfr. Mesk, p. 5: „Beide Ereignisse fallen mit dem Beginne des Bundesgenossenkrieges ungefähr zusammen; sie einige Jahre später (355) zu erwähnen, zu einer Zeit, da das eroberte Amphipolis gegen Philipps Versprechen an Athen nicht zurückgegeben, Pydna und Potidaia genommen, Methone bedroht war, wäre allerdings sonderbar gewesen."

[3] Cfr. Xen. Anab. VI 2. 10. 4. 8; cfr. Beloch, Griech. Gesch. III 1, p. 347 sq.; Isocr. IV 146; Dem. XIV 31.

[4] I. Kromayer — G. Veith, Heerwesen und Kriegführung der Griechen und Römer (Iw. v. Müller, Handbuch IV, 3, 2) München 1928, p. 75.

[5] p. 456. [6] § 29.

ipsi militare nolunt[1], quare exules et transfugas conducunt, quorum iniurias rapinasque non puniunt. Ut mercennariis, omnium hominum hostibus, mercedem dare possint, sociis iniurias inferunt et tributa exigunt[2]:

. . . ἡμεῖς δ' οὐδ' ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας αὐτῶν πλεονεξίας κινδυνεύειν ἀξιοῦμεν, ἀλλ' ἄρχειν μὲν ἁπάντων ζητοῦμεν, στρατεύεσθαι δ' οὐκ ἐθέλομεν, καὶ πόλεμον μὲν μικροῦ δεῖν πρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους ἀναιρούμεθα, πρὸς δὲ τοῦτον οὐχ ἡμᾶς αὐτοὺς ἀσκοῦμεν, ἀλλ' ἀνθρώπους τοὺς μὲν ἀπόλιδας, τοὺς δ' αὐτομόλους, τοὺς δ' ἐκ τῶν ἄλλων κακουργιῶν συνερρυηκότας, οἷς ὁπόταν τις διδῷ πλείω μισθόν, μετ' ἐκείνων ἐφ' ἡμᾶς ἀκολουθήσουσιν. ἀλλ' ὅμως οὕτως αὐτοὺς ἀγαπῶμεν, ὥσθ' ὑπὲρ μὲν τῶν παίδων τῶν ἡμετέρων, εἰ περί τινας ἐξαμάρτοιεν, οὐκ ἂν ἐθελήσαιμεν δίκας ὑποσχεῖν, ὑπὲρ δὲ τῆς ἐκείνων ἁρπαγῆς καὶ βίας καὶ παρανομίας μελλόντων τῶν ἐγκλημάτων ἐφ' ἡμᾶς ἥξειν οὐχ ὅπως ἀγανακτοῦμεν ἀλλὰ καὶ χαίρομεν, ὅταν ἀκούσωμεν αὐτοὺς τοιοῦτόν τι διαπεπραγμένους.

Quas Isocrates his in paragraphis vituperat res, sane, ut socii ab Atheniensibus deficerent, tunc simul effecerant. Itaque Isocratem, qui postulet, ut Athenienses in socios iuste se gerant, hac in oratione malitiam mercennariorum commemorasse bene intellegere possumus. Quare certa quaedam facta (sc. Lampsacum et Sigeum urbes direptas) significare, ut Mesk vult[3], necesse non erat. — Igitur illi sententiae: περὶ εἰρήνης orationem anno 357/356 compositam esse, ne hae quidem res repugnant.

Neque belli calamitates, quas Isocrates in §§ 19—22 enumerat, nostram sententiam refutare, sed potius confirmare possunt. Permagni enim apparatus belli — nam permagna classis hoc anno ornanda erat —, ut brevi tempore pecuniae inopia fieret, sine dubio effecerunt, praesertim cum Athenienses proximis annis semper in bello fuissent atque hoc ipso tempore Philippi sociorumque milites contra Athenienses starent. Athenienses tum bellum prosperum gerere non potuisse ex eo cognoscitur, quod lex a Periandro de trierarchia lata[4] tum primum exercebatur.

---

[1] §§ 46. 48.

[2] §§ 43 sq.; cfr. § 46: εἰς τοῦτο δὲ μωρίας ἐληλύθαμεν, ὥστ' αὐτοὶ μὲν ἐνδεεῖς τῶν καθ' ἡμέραν ἐσμέν, ξενοτροφεῖν δ' ἐπικεχειρήκαμεν, καὶ τοὺς συμμάχους τοὺς ἡμετέρους αὐτῶν ἰδίᾳ λυμαινόμεθα καὶ δασμολογοῦμεν, ἵνα τοῖς ἁπάντων ἀνθρώπων κοινοῖς ἐχθροῖς τὸν μισθὸν ἐκπορίζωμεν.

[3] p. 11. 13.

[4] Schäfer, p. 167; Meyer, p. 490.

Itaque de magnis belli impensis et vectigalibus exigendis oratorem dicere consentaneum est. De illis enim profert:

πρὸς δὲ τούτοις ἃ νῦν ἀπολαβεῖν οὐ δυνάμεθα διὰ πολέμου καὶ πολλῆς δαπάνης, ταῦτα . . .[1]

πλεῖστον δὲ διεψεύσμεθα τῆς ἀληθείας. ὧν μὲν γὰρ ἠλπίζομεν, οὐδὲν ἀποβέβηκεν, ἔχθραι δ' ἡμῖν ἐξ αὐτῶν καὶ πόλεμοι καὶ δαπάναι μεγάλαι γεγόνασιν, εἰκότως[2].

De vectigalibus autem dicit:

οἱ μὲν γὰρ τὰς πενίας καὶ τὰς ἐνδείας ἀναγκάζονται διεξιέναι καὶ θρηνεῖν πρὸς σφᾶς αὐτούς, οἱ δὲ τὸ πλῆθος τῶν προσταγμάτων καὶ τῶν λειτουργιῶν καὶ τὰ κακὰ τὰ περὶ τὰς συμμορίας καὶ τὰς ἀντιδόσεις· ἃ τοιαύτας ἐμποιεῖ λύπας ὥστ' ἄλγιον ζῆν τοὺς τὰς οὐσίας κεκτημένους ἢ τοὺς συνεχῶς πενομένους[3].

Deinde quod Isocrates mercaturam iacere et urbem peregrinis et mercatoribus carere profert[4], et bello exorto et pecuniae inopia ingravescente[5] explicari potest.

Accedit, quod socii seditiosi regiones ad orientem spectantes intercluserant. Nam Chii Aegeum in mare, Byzantii in Propontidem, Rhodii Coique in loca meridiana prohibebant navigationem[6]. Re vera socios post pugnam ad Chium commissam totum per Aegeum mare navigavisse et Lemnum Imbrumque insulas populantes septentrionales petivisse regiones Diodorus tradit[7]. Quam ob rem Atheniensibus commeatum facile intercludere poterant, ut Athenis rei frumentariae inopia, quam Isocrates in oratione indicat, efficeretur. In § 46 enim legimus: εἰς τοῦτο δὲ μωρίας ἐληλύθαμεν, ὥστ' αὐτοὶ μὲν ἐνδεεῖς τῶν καθ' ἡμέραν ἐσμέν . . .

Haec gravis inopia victus de illa, quam Demosthenes in oratione πρὸς Λεπτίνην inscripta commemorat, fortasse nos admonet. Qua in oratione Demosthenes profert[8]: ἀλλὰ πρωπέρυσιν σιτοδείας παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις γενομένης, οὐ μόνον ὑμῖν ἱκανὸν σῖτον ἀπέστειλ', ἀλλὰ . . . — Quae oratio anno 355/54 habita est[9]. Qua de causa primo belli anno inopiam frumenti Athenienses oppressisse[10] et

[1] § 22. [2] § 29. [3] § 128; cfr. § 20.

[4] § 21: ὀψόμεθα δὲ τὴν πόλιν διπλασίας μὲν ἢ νῦν τὰς προσόδους λαμβάνουσαν, μεστὴν δὲ γιγνομένην ἐμπόρων καὶ ξένων καὶ μετοίκων, ὧν νῦν ἐρήμη καθέστηκεν.

[5] § 69. [6] Cfr. Oncken, p. 146. [7] Cfr. supra p. 11.

[8] XX 33; cfr. Benseler, p. 310; Böckh, p. 111.

[9] Christ-Schmid, Geschichte der griechischen Litteratur (Iw. v. Müllers Hdbch. VII 1[6]), München 1912, p. 585. [10] Cfr. Schillbach, p. 6.

Isocratis orationem, qui hanc quoque frumenti inopiam commemorat, eodem anno compositam esse concludere possumus.

Certo igitur Isocratis oratio, quae περὶ εἰρήνης inscribitur, primo belli anno (357/356) conscripta est. Quam sententiam etiam §§ 19 et 22 confirmant, ex quibus tempus editionis accuratius determinare fortasse licet[1]. In § 19 enim orator scribit: καὶ γὰρ πενεστέρους ἐποίησε καὶ πολλοὺς κινδύνους ὑπομένειν ἠνάγκασε.. — Illud πολλοὺς κινδύνους ὑπομένειν ἠνάγκασε ad pugnam initio anni 356 apud Chium commissam spectare mihi videtur.

Eandem pugnam meo iudicio fortasse indicant verba § 22: πρὸς δὲ τούτοις ἃ νῦν ἀπολαβεῖν οὐ δυνάμεθα διὰ πολέμου καὶ πολλῆς δαπάνης . . .— Athenienses igitur aliquid conatos esse ex hac paragrapho clare elucet, quod quidem pugna ad Chium commissa factum esse potest.

Hoc commentationis loco postremum sententiam Onckeni[2] afferre opus est, qui περὶ εἰρήνης orationem ante hanc pugnam editam esse censuit. — Cum Oncken verba §§ 19 sq. non satis accurate interpretetur, equidem orationem περὶ εἰρήνης inscriptam initio anni 356 post pugnam apud Chium commissam conscriptam esse puto.

Argumentis e §§ 19 et 22 collectis, quae hoc editionis tempus approbant, addam aliud idque meo iudicio gravissimum.

Ex eo, quod Diodorus tradit[3], Athenienses bello sociali exorto Charetem cum classe sexaginta navium prioribus annis iam instructa in Chium insulam misisse comperimus. Athenienses igitur ante pugnam ad Chium factam, cum Charetem cum copiis ipsis, quae eis initio belli erant, in seditiosos proficisci iusserint, alios milites conduxisse novasque naves tum ornavisse non videntur.

---

[1] Mathieu (p. 116), qui idem tempus accipit, paragrapho 6 quoque (τὴν δύναμιν ἀναληψόμεθα πάλιν, ἣν πρότερον ἐτυγχάνομεν ἔχοντες) nititur.

[2] p. 150: ,,Die Abfassung der Rede über den Frieden fällt in die Zeit, welche zwischen diesem Angriff und der vollendeten Heeresrüstung der Athener zur Unterstützung des Chares liegt; als Ausgangspunkt nimmt der Redner diejenige Versammlung, in welcher das athenische Volk beschloß, die Sache seines Feldherrn zu der seinigen zu machen, und spricht die Erwägung aus, welche die Friedenspartei (die Gelehrten, Künstler, Geschäftsmänner usw.) beschäftigen mußten, als zwar noch nirgends eine entscheidende Schlacht geschlagen war, aber die kostspieligen Rüstungen einerseits, die Störung der Geschäfte und des Handelsverkehrs andererseits zur raschen Beilegung der Feindseligkeiten zu rathen schienen, ehe ein Zurückgehen ohne Schimpf unmöglich geworden war."

[3] Cfr. supra p. 10.

At post hanc pugnam Athenienses alacerrimo animo magnam classem exornantes bellum denuo paraverunt. Ad hoc tempus verba § 12 spectare existimo, ubi Isocrates dicit:

ὧν ἡμεῖς οὐδεμίαν ποιούμεθα μνείαν ἀλλ' ἑτοίμως ἔχομεν, μηδὲν εἰς τοὔμπροσθεν ἡμῖν αὐτοῖς πράττοντες, τριήρεις πληροῦν καὶ χρημάτων εἰσφορὰς ποιεῖσθαι καὶ βοηθεῖν καὶ πολεμεῖν οἷς ἂν τύχωμεν, ὥσπερ ἐν ἀλλοτρίᾳ τῇ πόλει κινδυνεύοντες.

Ergo περὶ εἰρήνης oratio post pugnam apud Chium insulam initio anni 356 commissam confecta est.

Termino, quem vocamus, post quem Symmachicus scriptus est, ita constituto illum, qui vocatur ante quem, e § 55 verbis determinari posse opinor. Qua in paragrapho Isocrates Athenienses eos, quorum consiliis utantur gravissimis in rebus, imperio indignos habere dicit; eis vero, quorum consilia neque in privatis neque in publicis rebus quis sequatur, summum imperium deferri[1]. Cum Isocrates, ut iam supra commemoravimus[2], in huius paragraphi altera parte Charetem aggrediatur, illud: οἷς μὲν γὰρ περὶ τῶν μεγίστων συμβούλοις χρώμεθα, τούτους μὲν οὐκ ἀξιοῦμεν στρατηγοὺς χειροτονεῖν ὡς νοῦν οὐκ ἔχοντας ad Timotheum, cuius de pace facienda sententiam orator hoc in libello sequitur[3], spectare sentio[4]. Quae cum ita sint, Timotheum aliosque duces, quo tempore Isocrates haec verba scripsit, classi ab Atheniensibus post pugnam apud Chium commissam recens instructae nondum praefectos esse concludere licet. Cum Timotheus, Menestheus, Iphicrates duces aestate anni 356 imperatores designatos esse verisimile sit, tempus, quo περὶ εἰρήνης oratio exarata esse potest, definitur spatio, quod est inter pugnam apud Chium factam et istorum imperatorum electionem (i. e. inde a primo vere usque ad aestatem anni 356).

---

[1] οἷς μὲν γὰρ περὶ τῶν μεγίστων συμβούλοις χρώμεθα, τούτους μὲν οὐκ ἀξιοῦμεν στρατηγοὺς χειροτονεῖν ὡς νοῦν οὐκ ἔχοντας, οἷς δ' οὐδεὶς ἂν οὔτε περὶ τῶν ἰδίων οὔτε περὶ τῶν κοινῶν συμβουλεύσαιτο, τούτους δ' αὐτοκράτορας ἐκπέμπομεν.

[2] Cfr. p. 34.

[3] Cfr. Münscher, P.-W. IX, 2205.

[4] Imprimis quod Isocrates dicit οἷς μὲν γὰρ περὶ τῶν μεγίστων συμβούλοις χρώμεθα hanc opinionem confirmat. Nam Timotheus praeter Chabriam et Callistratum, ut foedus alterum maritimum fieret, effecerat et paulo ante bellum sociale Athenienses Timotheo auctore in Euboeam insulam agmen contra Thebanorum copias susceperant (cfr. Meyer, p. 483; Beloch III 1, p. 222).

Caput III.

Quo tempore 'Αρεοπαγιτικός oratio composita sit.

Etiam Isocratis oratio, quae 'Αρεοπαγιτικός[1] inscripta est, ad res Atheniensium saeculi quarti adversas pertinet. Qua in oratione Isocrates de domesticis civitatis rebus iudicium facit, ut Athenas, urbem patriam, maxima perturbatione, in quam inciderunt, liberet. Quamquam Areopagiticus varias belli res[2] respicit, tamen, quo tempore haec oratio composita sit, facile cognoscere non possumus, quare viri docti dissentiunt. Plurimi quidem Isocratem hanc orationem post pacem anno 355 factam confecisse putant. Quorum Hieronymus Wolf[3], Auger[4], Lange[5], Bergmann[6] orationem post bellum sacrum confectum (357—346) scriptam esse censuerunt, Bergmann[7], Benseler[8], Clinton[9], Busolt[10] Areopagiticum editum esse post περὶ ἀντιδόσεως orationem anno 353 compositam contenderunt, ceteri omnes Isocratem hanc orationem paulo post pacem, quae bellum sociale anno 355 finivisset, conscripsisse sententiam posuerunt. Quorum enumero Pfundium[11], Christianum[12], Böhneckenum[13], Schneiderum[14], Iebbium[15], Eulerum[16], Schäferum[17], Blassium[18], Dob-

[1] Haec oratio nomen accepit ab Areopago, cuius auctoritatem pristinam orator rogationem fingens (§ 1) renovare vult. Cfr. Rauchenstein-Münscher, Ausgewählte Reden des Isokrates, Berlin 1908[6], p. 139.

[2] Cfr. §§ 8. 9. 10. 81.

[3] 'Ισοκράτους ἅπαντα. Isocratis scripta, quae quidem nunc exstant, omnia, Graeco-latina, postremo recognita II, Basileae 1570, p. 477. 479.

[4] Oeuvres complettes d' Isocrate I, p. 112. — Isocratis opera omnia II, p. 91.

[5] Des Isokrates sämtliche Reden und Briefe I, p. 280 sq.

[6] Isocratis Areopagiticus, Lugduni Batavorum 1819, p. 59 sq.

[7] p. 64 sq.

[8] Isocratis Areopagiticus, Lipsiae 1832, p. 48.

[9] Fasti Hellenici II, p. 143.

[10] Der zweite athenische Bund, p. 711.

[11] De Isocratis vita et scriptis, p. 21.

[12] Isokrates Werke, übersetzt III, Stuttgart 1834, p. 375.

[13] Forschungen auf dem Gebiete der attischen Redner I 2, p. 729.

[14] Isokrates ausgewählte Reden I, Leipzig 1859, p. 71.

[15] The Attic Orators II[2], p. 204 sq.

[16] Über die Abfassungszeit der Isokrateischen Friedensrede, p. 18.

[17] Demosthenes und seine Zeit I[2], p. 511 adnot. 1.

[18] Die attische Beredsamkeit II[2], p. 305.

sonium[1], nostrorum temporum doctissimos viros Drerupium[2], Münscherum[3], Meskium[4], Mathieuum[5], Norlinum[6]. Eduardo Meyer[7] soli, cuius sententia, ut supra commemoravimus[8], a Miltnero[9] nuper confirmata est, Areopagiticum ante pacem anni 355 scriptum esse et περὶ εἰρήνης orationi antecessisse persuasum est.

Antequam, quid ipse de editionis tempore sentiam, refero, haec singulorum virorum doctorum iudicia perquiram. Hanc quoque orationem, quia Isocrates corporis et animi facultatibus deficientibus apud populum verba facere non poterat[10], Athenis in contione habitam esse Isocrates fingit[11]. Quaestio vero nostra imprimis a paragraphis 1—3. 8—10. 81 proficiscatur necesse est.

§ 1.

Num oratio post annum 353 conscripta sit.

Atque primum quidem Areopagiticum neque temporibus belli sacri contra Phocenses gesti ultimis (a. 346) neque post Isocratis orationem περὶ ἀντιδόσεως (a. 353) exaratum esse dici posse existimamus.

Athenas atque Atticam in pace esse Isocrates ipse dicit[12] his verbis:

Πολλοὺς ὑμῶν οἶμαι θαυμάζειν, ἥντινά ποτε γνώμην ἔχων περὶ σωτηρίας τὴν πρόσοδον ἐποιησάμην, ὥσπερ τῆς πόλεως ἐν κινδύνοις οὔσης . . . εἰρήνην δὲ καὶ τὰ περὶ τὴν χώραν ἀγούσης καὶ τῶν κατὰ θάλατταν ἀρχούσης . . .

Sed statim in controversia est, utrum haec verba ad pacem post bellum sociale factam (a. 355) an ad pacem Philocratis (a. 346), quam vocant, pertineant. Quam proximam sententiam Hieronymus Wolf, Auger, Lange, Bergmann professi sunt, qui paragrapho

---

[1] The Greek Orators, p. 154.

[2] Isocratis opera omnia I, p. CLV.

[3] P.-W. IX, 2207; — Ausgewählte Reden, p. 135.

[4] Wiener Studien 38 (1916), p. 17 sq.

[5] Les idées politiques d'Isocrate, p. 127.

[6] Isocrates II, p. 100.

[7] Geschichte des Altertums V², p. 493.

[8] Cfr. p. 19.

[9] Mitteilungen d. Vereines klass. Philologen in Wien I, p. 42 sq.

[10] Cfr. supra p. 5.

[11] § 1. [12] §§ 1 sq.

9 nitebantur, ubi apud Isocratem legimus: ἐοίκατε γὰρ οὕτω διακειμένοις ἀνθρώποις, οἵτινες ἁπάσας μὲν τὰς πόλεις τὰς ἐπὶ Θρᾴκης ἀπολωλεκότες . . . — Quibus verbis urbes a Philippo anno 348 expugnatas[1] indicari putabant.

H. Wolf, qui, quando haec oratio composita esse posset, primus accuratius exquisivit, cum rationes temporum clare non perspiceret[2], fluctuavit neque firmam tulit sententiam. Tum Areopagiticum post victoriam navalem anni 371 et ante bellum sociale ortum confectum esse, tum huius orationis editionem tempore demum belli sacri Olyntho eiusque urbibus foederatis a Philippo subiectis factam esse censere videtur. Dicit enim[3] ad § 2 verba ὧν ὑπαρχόντων: ,,Ex hac enumeratione copiarum Atheniensis rei publicae colligitur, orationem hanc scriptam esse post navalem Cononis victoriam, qui patriae dignitatem pristinam restituit, quam filius eius Timotheus, felicissimus imperator, et conservavit et amplificavit. Etsi autem in hac oratione mentio nulla fit Philippi: tamen urbium Thraciae amissionem nullam ego quidem aliam novi, nisi eam cum Olyntho expugnata etiam caeterae in eius potestatem ceciderunt.'' — Wolfium proximum hoc editionis tempus praetulisse alia eius dicta demonstrant[4]. — Wolfii sententiam imprimis Bergmann in editione anni 1819 multis verbis adiuvat. ,,Deinde'', inquit[5], ,,si ad uberem illam, quam diximus, rerum gestarum enumerationem attenderis, nulla alia tempora intellegi posse opinor, quam quae in extremam oratoris senectutem cadant. Nam quod Wolfius ait nullam aliam se nosse urbium Thraciae amissionem, nisi eam, cum Olyntho expugnata etiam ceterae in Philippi potestatem ceciderunt: id rectissime animadversum puto . . . Sed ut ad Thraciae civitates

---

[1] Cfr. Beloch, Griech. Geschichte III 1, p. 492 sq.; — III 2, p. 277 sq.; Schäfer II², Leipzig 1886, p. 118 sq.

[2] p. 480: ,,Mihi αἱ περὶ τὰς χρονολογίας δυσχέρειαι saepe sunt molestae, adeo ut verear, μήποτε δεινῆς ἀνιστορησίας κατηγορηθῶ. Neque enim ubique distinctio temporum mihi in promptu est, quod cum iis alia congruere videntur, alia ab iisdem abhorrere.''

[3] p. 477.

[4] p. 479, ubi ad illud § 9 τὰς ἐπὶ Θρᾴκης adnotat: ,,Olynthum scilicet et triginta urbes Chalcidici generis, quas Philippus Macedo ceperat, de quibus multa verba fiunt apud Demosthenem περὶ παραπρεσβείας''; cfr. adnotationes ad eiusdem paragraphi 9 verba μάτην εἰς τοὺς ξένους (p. 479) et adnotationes ad § 10 verba συμμάχους ἀπολωλεκότες (p. 480).

[5] p. 62 sq.

redeamus, Olynthus, ut postea videbimus, expugnata est anno a. C. 348 . . . Interea iam per aliquot annos contra Phocenses bellum sacrum gerebatur a Thebanis eorumque sociis primum solis, deinde duce et adiutore Philippo, qui altero postea anno 346 finem ei imposuit cum gravi sacrilegorum damno . . . Huc referam pacis mentionem cap. I.“

Sed Areopagiticum ultimo belli sacri tempore scriptum esse et in orationis paragrapho prima de pace Philocratea dici omnes nostrorum dierum viri docti negant. Quorum imprimis Münscher[1] ad refutandas Wolfii aliorumque sententias omnia argumenta contulit, quibus hic quoque utor.

Verba Isocratis οἵτινες ἁπάσας μὲν τὰς πόλεις τὰς ἐπὶ Θρᾴκης ἀπολωλεκότες (§ 9) ad res bello sacro gestas referri opus non est, sed potius tempus belli socialis ostentant. Nam paulo ante hoc bellum exardescens Amphipoli et Pydna urbibus occupatis Philippus, rex Macedonum, cum Olynthiis, pro quibus Poetidaeam se expugnaturum esse promiserat, foedus contra Athenienses iniit[2]. Poetidaea quoque urbe capta atque deleta[3] Athenienses optimas florentissimasque colonias et sociorum urbes, quae eis et in Chalcidice et in Thraciae ora erant, amiserant[4]. Quare Isocratis verba primis belli socialis temporibus aptissima sunt neque de earundem urbium obsidione tempore belli sacri facta intellegi debent[5].

Immo Isocratem his § 9 verbis Thraciae urbes paulo ante bellum sociale amissas significare aliae rationes confirmant. Orator enim in Areopagitici prooemio summam confidentiam, quae, quo tempore oratio conscripta est, in Atheniensium animis inerat, describit. Athenienses, quippe qui, cum eis res publica satis prospera esse videatur, longe ab omni periculo se abesse neque saluti consulere opus esse censeant, iure mirantur, quod

---

[1] Ausgewählte Reden des Isokrates, p. 134.

[2] Diod. XVI 8, 3; cfr. supra p. 9.

[3] Locos de Poetidaea urbe expugnata ab antiquis scriptoribus traditos invenies plurimos apud Schäferum II, p. 25 adnot. 1.

[4] Quodsi Isocrates dicit ἁπάσας μὲν τὰς πόλεις . . . ἀπολωλεκότες, quamquam Methone urbs anno 353 expugnata est (illam iam anno 355/54 captam esse censet Kahrstedt, Forschungen zur Geschichte, p. 41), hoc premere non licet, „quoniam Atheniensium auctoritas in Thracia iam antea sublata prope et exstincta erat“ (cfr. Drerup, p. CLV; Blass, p. 305 adnot. 1; Mathieu, p. 127).

[5] Cfr. Münscher, P.-W. IX, 2207; Drerup, p. CLV; Mesk, p. 17; Mathieu, p. 126.

Isocrates orationem de re publica servanda habiturus est[1]. — Neque vero magnae spei securique animi Athenienses ultimis belli sacri temporibus plenos fuisse constat.

Nam Philippus bello sacro diuturno confecto Phocenses gravissimis poenis affecit. Tametsi ille, quod Oetaei tulerunt, ut omnes Phocensium sacrilegorum adulti occiderentur, repudiavit, Phocidis incolis dearmatis locisque munitis prostratis totam Phocidis regionem valido cum Macedonum praesidio occupavit[2]. Quae res Atheniensium animos maxime perturbavit atque perterruit[3]. Athenienses igitur tunc temporis confidentes et omnis curae expertes fuisse, quales Isocrates hoc in prooemio describit, dici non potest. Post bellum vero sociale, cum onere belli difficillimi liberati respirare possent neque adhuc cum opibus regis Macedonum, quae paulatim crescebant, congressi essent, sane permagnae securitatis et confidentiae, quam Isocrates in Areopagitico vituperat, esse poterant. Quare haec oratio post pacem anni 346 composita non est.

Sed interrogare quis potest, num Areopagiticus tempore, quod est inter pacem Philocrateam anno 347 inchoatam[4] et anno 346 denique confectam, conscripta sit[5].

At ne illo quidem tempore Athenienses tantam ceperunt fiduciam, cum adhuc omnes in Philippum susceptae res in irritum cecidissent et Athenienses, qua erant animi imbecillitate, pacem facere constituissent[6], id quod Demosthenes ipse, adversarius ille Philippi atrocissimus, concedit[7].

---

[1] §§ 1—3; cfr. p. 62 sq. commentationis.

[2] Cfr. Beloch III 1, p. 511; Schäfer, p. 289.

[3] Beloch scribit p. 513: ,,In Athen war indeß, infolge der Schreckbilder, die Demosthenes und seine Freunde an die Wand malten, eine Panik ausgebrochen; man sah im Geiste schon Philipps Heer gegen die attische Grenze heranziehen und beschloß, die Bevölkerung des offenen Landes und ihre fahrende Habe hinter den Mauern der Stadt in Sicherheit zu bringen (Dem. v. d. Ges. 86 f. 125, v. Kr. 36—38, Aesch. v. d. Ges. 139, g. Ktes. 80); cfr. Schäfer, p. 293.

[4] Beloch, p. 502 sq.

[5] Quae cum ita essent, verba § 1 ὥσπερ τῆς πόλεως . . . εἰρήνην δὲ καὶ τὰ περὶ τὴν χώραν ἀγούσης ad pacem, qua Attica tantum fruebatur, referenda essent.

[6] Schäfer, p. 166. 192 sq.

[7] XIX 93; Aesch. III 60; cfr. Beloch, Die attische Politik, p. 190: ,,Selbst die Opposition begann jetzt einzusehen, daß eine Verständigung mit Philippos eine Nothwendigkeit war, und sei es auch auf der Basis des gegenwärtigen Besitzstandes. Demosthenes allen voran; so sehr er bisher zum Kriege gegen den König

Porro, si Isocrates Areopagiticum post pacem anni 346 edidisset, mirum sane esset, quod in paragraphis 6/7, ubi exempla fortunae vicis mutuae, qua civitates florentissimae haud raro evertantur, affert, foederis Olynthiorum olim potentissimorum illo ipso tempore dissoluti mentionem non facit, quod exemplum Athenienses magnopere commovere potuit.

Accedit, quod orator in Areopagitico saepius[1] de periculo Atheniensibus e Persis imminenti neque de illo e Macedonibus instanti verba facit, quod, praesertim cum Atheniensium altera pars Demosthene duce Macedonibus infestissima esset, certe non omisisset, si Areopagiticus temporibus belli sacri conscriptus esset. —

Hoc loco illi sententiae virorum doctorum obsistamus necesse est, qui Areopagiticum post Isocratis orationem XV, quae περὶ ἀντιδόσεως inscribitur, compositum esse putaverunt. Quam sententiam Bergmann[2], Benseler[3], Clinton[4], Busolt[5] professi sunt. Qui viri docti inde proficiscuntur, quod Isocrates in oratione de permutatione, in qua orator complures orationes commemorat, Areopagitici nullam facit mentionem. — „Attamen aliunde", Bergmann inquit, „patere videtur ad extremam Isocratis senectutem hoc opus referendum esse, quippe quod scriptum videatur demum post habitam orationem de permutatione, περὶ ἀντιδόσεως . . . Quod si autem iam tunc scriptus erat Areopagiticus, quid tandem causae esse poterat, cur hanc tantae praestantiae orationem, quae civilis prudentiae laudem adeo sibi vindicaret, ne semel quidem nominatim memoraret Isocrates, neque quae in ea sapientissime coram Areopagi iudicibus disputaverat, itidem aut nulla aut levi mutatione ex ea referret? Nihil profecto magis ab Isocratis ingenio et consilio illius, qua se ab adversariorum calumniis liberare studebat, orationis abhorrere videtur, quam istud de suo opere silentium." — Idem fere Benseler Clintonis verba probans dicit: „Recte enim ostendit (sc. Bergmann) offendere debere, quod Isocrates si hanc orationem

---

gehetzt hatte, so eifrig war er jetzt für die Sache des Friedens tätig, eine Wandlung, die mehr als alles andere die politische Lage kennzeichnet."

[1] §§ 8, 10. 81.

[2] p. 64. [3] p. 48. [4] p. 143.

[5] p. 711. Busolt censere videtur Areopagiticum post annum 346 editum esse, cum scribat: „. . . einer (sc. Areopagiticus) sicher nach 353 und wohl auch nach 346 verfaßten Rede".

ante orationem de permutatione scripserit, eius in illa oratione non mentionem fecerit, esse enim hanc orationem ita comparatam, ut aptissimus eius fuisset locus in illa oratione . . . Hinc probo omnino, quae Clinton l. c. de hac re habet sub anno 353[1]."

Quae Isocratis oratio de permutatione inter oratoris scripta plurimum valet. Nam illa oratione Isocrates, cum primus omnium scriptorum antiquorum animi vitaeque suae ipsius exprimere velit imaginem, novum genus in Graecorum litteras induxit[2]. Quoniam vero Isocrates se hanc orationem senem octoginta duo annos natum scripsisse[3] et Timotheum iam mortuum esse[4] profitetur, orationem anno 353 editam esse certo colligi potest[5]. Ut titulus significat, Isocrates a causa de permutatione acta et amissa[6] scribendi sumit ansam. Qua in causa, cum cives invidos et malevolos sibi esse cognovisset[7], cum illis ipsis tum posteris de moribus, vita, studiis rationem reddere in animo habet[8]. Quare Lysimachum[9] accusavisse oratorem, quod iuvenes corrumperet et ab innumeris nobilibusque discipulis magnas accepisset pecunias[10], fingit[11]. Crimen iuvenes corrumpendi Socrati quoque olim datum[12] causa ipsa agenda optime reiectum iri Isocrates sperat[13]. Deinde

[1] Ubi adnotat: ,,Isocratis Ἀρεοπαγιτικός. Soon after the peace with the Confederates: conf. c. I. p. 140. and yet, probably, not published before the oration περὶ ἀντιδόσεως, in which he would be likely to have quoted it."

[2] Cfr. XV 1. 7. 12; I. Bruns, Das literarische Porträt der Griechen im fünften und vierten Jahrhundert vor Christi Geburt, Berlin 1896, p. 527; G. Misch, Geschichte der Autobiographie I, Leipzig-Berlin 1907, p. 86; Münscher, P.-W. IX, 2210: ,,Literarhistorisch ist sie gleichfalls von besonderer Wichtigkeit, da sie wieder ein neues εἶδος inauguriert als der erste Versuch einer Autobiographie."

[3] § 9. [4] § 101.

[5] A. Vitz, Des Isokrates Rede über den Vermögenstausch, zur Einführung in die Lektüre des Isokrates, Progr. Pyritz 1871, p. 4; Blass, p. 308; Drerup, p. CLVI; Münscher, 2209.

[6] § 4. [7] §§ 4. 6. [8] § 6. [9] §§ 14. 25. [10] § 30.

[11] § 13. De huius orationis structura cfr. G. Schlüter, Argumentum et structuram Isocrateae de permutatione bonorum orationis explanavit, Progr. Hildesheim 1869.

[12] Isocratem hac in causa ficta Socratis causam sibi proposuisse et in περὶ ἀντιδόσεως oratione conficienda Platonis Apologiam imitatum esse certum est. Cfr. W. Vollnhals, Über das Verhältnis der Rede des Isokrates περὶ ἀντιδόσεως zu Platos Apologia des Sokrates. Progr. Bamberg 1897; I. Vasold, Über das Verhältnis der isokrateischen Rede περὶ ἀντιδόσεως zu Platons Apologia Socratis, Diss. Erlangen (München) 1898; I. Bruns, p. 526; Blass, p. 309; Münscher, 2210. Aliter iudicat O. M. Feddersen, De Xenophontis Apologia Socratis et Isocratis antidosi quaestiones duae Socratis litem attinentes, Diss. Jenae 1907.

[13] §§ 33—35.

se nunquam orationum forensium[1], sed, quae de Graecorum rebus gravissimis[2] agerent, egregium fuisse auctorem profert. Quare ut Atheniensibus luculenter ostendat, qualia sua sint scripta et cives oratoris mores orationumque vim rectius intellegant et corruptionis suspicione se exsolvat[3], e prioribus suis scriptis tres orationes elegit, e quibus satis longas affert partes. Quae orationes sunt: oratio IV (Πανηγυρικός), oratio VIII (περὶ εἰρήνης), oratio II (πρὸς Νικοκλέα). In altera autem de permutatione orationis parte, qua de ingenii sui animique cultu iudicium facit[4], praeter has tres orationes quartam commemorat[5], quae est oratio XII (κατὰ τῶν Σοφιστῶν). — Profecto Isocrates, cum has orationes eligeret, omnia scripta antea composita afferre nequaquam in animo habebat, ut ipse in § 54 dicit his verbis:

ἅπαντας μὲν οὖν διὰ τέλους εἰπεῖν οὐκ ἂν δυναίμην· ὁ γὰρ χρόνος ὁ διδομένος ἡμῖν ὀλίγος ἐστίν· ὥσπερ δὲ τῶν καρπῶν, ἐξενεγκεῖν ἑκάστου δεῖγμα πειράσομαι. μικρὸν γὰρ μέρος ἀκούσαντες ῥᾳδίως τό τ' ἐμὸν ἦθος γνωριεῖτε καὶ τῶν λόγων τὴν δύναμιν ἁπάντων μαθήσεσθε.

Paucas orationes excerpit, multarum aliarum mentionem non facit; ut exemplum afferam, orationes 'Αρχίδαμος et Πλαταικός inscriptas nominare neglexit[6]. — Quoniam vero Isocrates paucas neque omnes orationes erat enumeraturus, Areopagiticum commemorare opus non erat. Itaque hanc orationem post illam de permutatione demum scriptam esse affirmare non possumus. Attamen etiamsi certo non scimus, quare Isocrates Areopagiticum praetermiserit, fortasse intellegi potest hoc modo.

Isocrates enim eam orationis Πανηγυρικός inscriptae partem[7] affert, quae continet res bello gestas, quas Athenienses susceperunt pro omnibus Graecis. Orationis de pace Isocrates exscripsit eas partes[8], quibus Athenienses in eorum maris imperium vehementer invehens ad iuste et bene in socios se gerendum excitat[9]. Quam

---

[1] §§ 3. 40—42. [2] §§ 3. 46. [3] §§ 44. 54.

[4] Münscher, P.-W. IX, 2210.

[5] Inserit nonnulla huius orationis verba in § 194.

[6] Blass, p. 305 adnot. 1; Drerup, p. CLV; Münscher, Ausgewählte Reden, p. 137; Mesk, p. 17; Mathieu, p. 127.

[7] §§ 51—99.

[8] §§ 25—56. 133—145.

[9] Isocrates, ut Platonis calumnias (Polit. IV, p. 425 DE) redarguat, has orationis de pace partes hic affert; cfr. Dümmler, Kleine Schriften I, p. 88; Münscher, P.-W. IX, 2188.

libere cum principibus egerit, et subditorum saluti semper consuluerit, ut Atheniensibus ostendat, orationis πρὸς Νικοκλέα affert eas partes[1], quibus Nicoclem, Cypriorum regem, ad rem publicam bene gerendam cohortatur. — Quarum trium orationum sententiis allatis neque Areopagiticus, quo Isocrates rebus internis omnino emendandis studuit, neque Plataicus et Archidamus, quibus orator de Plataeensium et Lacedaemoniorum rebus disseruit, apti videntur esse. Praeterea, ut Areopagiticum commemorare neglegeret, Isocratem fortasse commovit illud, quod Athenienses indignati erant, quod orator, ut rei publicae status commutaretur, in Areopagitico anno proximo, ut videbimus, edito suaserat, ne hac oratione commemorata denuo in suspicionem oligarchiae instituendae[2] vocaretur[3]. Orationis κατὰ τῶν Σοφιστῶν mentionem facit, quod haec oratio continet (§§ 14—18) philosophiae doctrinaeque rationes, quas orator anno 353 quoque tenet atque defendit.

Id unum ergo Areopagiticum non post περὶ ἀντιδόσεως orationem compositum esse neque ad pacem Philocratis, quae vocatur, pertinere dici potest. Terminus, qui dicitur ante quem Areopagiticus scriptus est, est annus 353.

§ 2.

Num oratio ante pacem anni 355 confecta sit.

Deinde Areopagiticum neque ante pacem anni 355 confectum esse neque Isocratis orationi de pace antecessisse pro certo habemus. Quod Meyer et Miltner, ut supra diximus[4], profitentur. Meyer enim scribit[5]: „. . . Isokrates' Areopagitikos, geschrieben

---

[1] §§ 14—39. Isocrates illas sententias, quae Atheniensibus minus placere poterant, omisit; cfr. Münscher, Quaestiones Isocrateae, Diss. Gottingae 1895, p. 54 sq.

[2] Contra hanc suspicionem orator se defendit in Areopagitici §§ 56—70.

[3] Münscher, Ausgewählte Reden, p. 137 iudicat: „Sie konnte allerdings erwähnt werden, allein erstens hat dort Isokrates nicht alle erwähnt, und zweitens können wir nicht wissen, was er für Gründe hatte, sie unerwähnt zu lassen, vielleicht gerade den, daß sie als auf eine Änderung der Verfassung abzielend von manchen ungünstig aufgenommen wurde, wie er es § 57 u. 70 selbst voraussieht, und darum mochte ihm ihre Erwähnung für die apologetischen Zwecke der 15. Rede minder passend scheinen."

[4] p. 19. 44.

[5] p. 493 sq.

nach Chares' Sieg und dem Eintreffen des Briefs des Königs, aber vor dem Frieden." — Cum Meyer hanc sententiam argumentis non defendisset, Miltner id nuper facere conatus est. Etenim iam verbis § 2, ubi Isocrates hostes Atheniensium in metu versari et saluti suae[1] providere eis opus esse contendit, demonstrari censet Athenienses bello tunc illos hostes persequi. Memoria quoque digna esse, quae hac in paragrapho legantur, scilicet Athenienses imperium maritimum obtinere[2]. Sane concedendum esse etiam post bellum sociale infeliciter gestum speciem quandam imperii maritimi fuisse, sed post pacem factam vulgum, cuius sententiam Isocrates hoc in prooemio referat, illo ipso tempore de imperio infracto tantopere profecto non se iactavisse[3]. Maximam quidem vim verba § 1 habere Miltner putat, quae sunt: ὥσπερ τῆς πόλεως . . . εἰρήνην δὲ καὶ τὰ περὶ τὴν χώραν ἀγούσης . . . Quae verba, si stricte interpretemur, nihil aliud significare putat nisi Atticam tantum terram otio frui. Cum igitur Atticae modo agros regionesque, quae circumiaceant, in pace esse dilucide diceretur, res extra Atticam sitas a bello quietas non esse facile cognosci posse. Cum autem hae pugnae, quae Isocratis animo obversentur, ad res in Thracia gestas referri non possint, eas ad bellum sociale spectare concludere necesse esse. Quare Areopagiticum ante pacem, quae bellandi finem faceret, compositum esse patere. — Porro e verbis § 81[4] Miltner tempus, quo Areopagiticus sit editus, accuratius constituere conatus est. Orationem, inquit[5], post Charetis victorias et regis Persarum epistulas Athenas missas sub finem anni 355 conscriptam esse, antequam regem sociis seditiosis opem laturum esse Athenienses comperissent.

---

[1] τοῖς δ' ἐχθροῖς τοῖς ἡμετέροις προσήκειν δεδιέναι καὶ βουλεύεσθαι περὶ τῆς αὑτῶν σωτηρίας.

[2] . . . καὶ τῶν κατὰ θάλατταν ἀρχούσης . . .

[3] p. 43.

[4] ὡς δὲ βασιλεὺς ἔχει πρὸς ἡμᾶς, ἐκ τῶν ἐπιστολῶν ὧν ἔπεμψεν ἐδήλωσεν.

[5] p. 44: „Die Beschwerde des Großkönigs ist bereits eingetroffen, wie uns aus zwei Bemerkungen klar wird (§ 8 u. 81); von seiner Absicht aber, die Bundesgenossen zu unterstützen, ist mit keinem Worte die Rede. So ist es sicher, daß der Areopagitikos nach des Chares Sieg und nach dem Eintreffen des großköniglichen Schreibens verfaßt ist; und wenn wir als terminus ante quem, die Bestimmung „vor dem Friedensschluß" noch etwas einschränkend, die Zeit vor dem Bekanntwerden der konkreten Absichten des Großkönigs ansetzen, so dürfen wir auch dafür eine ziemlich große Wahrscheinlichkeit in Anspruch nehmen. Damit haben wir aber als Abfassungszeit des Areopagitikos den Spätsommer oder Frühherbst des Jahres 355 gewonnen."

Tametsi Miltner Isocratis verba subtiliter et stricte interpretatus Meyeri opinionem omni modo confirmare studet, quae dixit, non persuadent. Nam non modo ex orationis singulis verbis vel enuntiatis, sed etiam e totius Areopagitici argumento hanc orationem minime ante bellum nondum confectum, sed post pacem demum anni 355 exaratam esse cognoscere possumus. In perquirendis enim Meyeri et Miltneri sententiis, quae maximam habet vim, quaestio erit haec: utrum tempore Areopagitici edendi solam Atticam in pace fuisse, an etiam extra Atticam, et in mari et in coloniis externis, res fuisse pacatas ex Isocratis verbis concludi possit. Miltner, qui huius quaestionis disiunctivae priori parti assentitur, verbis § 1 nisus est. Ad locos vero, qui pro altera quaestionis parte stant, minus animum intendit neque totius orationis argumento multum tribuit, quod, ut mea fert opinio, praeter rationes e singulorum verborum vel enuntiatorum interpretatione conquisitas magnum affert momentum ad tempus editionis constituendum. Diligentius igitur accuratiusque in Miltneri inquiramus argumenta.

De belli socialis rebus illo tempore gestis, quo Miltner Areopagiticum editum esse contendit, iam in commentatione de περὶ εἰρήνης oratione sat multa scripsi[1].

Miltner verba § 1 ὥσπερ τῆς πόλεως . . . εἰρήνην δὲ καὶ τὰ περὶ τὴν χώραν ἀγούσης . . . ita interpretatus est, ut diceret[2]: ,,. . . streng genommen steht hier nichts anderes, als daß Athen nur zu Lande Frieden hätte."

Sed haec verba ita intellegere meo quidem iudicio minime necessarium est, immo, ut etiam extra Athenas et Atticam pax fuerit, interpretari possumus[3]. Tum vero non modo Atticam quietam fuisse a bello, sed etiam in mari tumultus sedatos esse Isocrates, cum verbis illis ὥσπερ τῆς πόλεως . . . εἰρήνην δὲ καὶ τὰ περὶ τὴν χώραν ἀγούσης obiciat illud καὶ τῶν κατὰ θάλατταν ἀρχούσης, luculenter profitetur: in mari quoque arma silent. Nam, etiamsi propter hoc verbum ἀρχούσης Athenienses tunc imperium maritimum re vera obtinuisse[4] accipere opus non est,

---

[1] p. 16 sq. [2] p. 43.

[3] Cfr. Drerup, p. CLIV; Münscher, P.-W. IX, 2207. — Ausgewählte Reden, p. 133 sq.; Mesk, p. 17.

[4] Isocratem his in orationis paragraphis primis res Atheniensium in maius extollere apparet; cfr. Mesk, p. 18 dicens: ,,Dazu übertreibt der Redner offenbar des Gegensatzes wegen."

illud καὶ κατὰ θάλατταν ἀρχούσης certe referendum est ad bellum sociale iam confectum, quo Atheniensium copiae et pedestres et navales contra socios seditiosos nihil valuerunt et eorum imperium maritimum fere dissolutum nequaquam auctum est[1]; quo confecto maria aperta esse apparet ita, ut imperium maritimum bello sociali fractum denuo crescere possit. At ipso belli socialis tempore nemo Atheniensium verbis illis καὶ κατὰ θάλατταν ἀρχούσης fidem habere poterat.

Quae nostra interpretatio non refutatur orationis illis verbis[2]: „hostes autem nostros causas habere timoris ac saluti suae consulere oportere[3].“ — Neque enim haec verba post bellum infeliciter confectum veritati contradicunt. Isocratem enim in Areopagitici prooemio vulgi referre opinionem nimis securam, quod rebus Atheniensium quamvis tristibus tunc temporis ac miseris permagna utebatur neglegentia, Miltner concedit[4]. Quae si reputaverimus, Athenienses bello tam molesto confecto gavisos verbis illis minacibus τοῖς δ' ἐχθροῖς τοῖς ἡμετέροις προσήκειν δεδιέναι καὶ βουλεύεσθαι περὶ τῆς αὑτῶν σωτηρίας usos esse facile comprehendimus. Quas minas, ut Mesk vult, ad belli tempora pertinere necesse non est.

Immo Miltneri sententia ipsis illis verbis ὥσπερ τῆς πόλεως ... εἰρήνην δὲ καὶ τὰ περὶ τὴν χώραν ἀγούσης optime, ni fallor, refellitur. Nam, quod ille in Attica tantum neque usquam alibi pacem fuisse interpretatur, tempori, quod regis Persarum interventum sequebatur, aptum non esse mihi videtur. Hoc ipsum enim tempus, quod est inter regis interventum et pacem anno 355 constitutam, Atheniensibus adeo iniquum erat[5], ut nemo Atheniensium bello nondum confecto de rebus Atheniensibus ita loqui auderet. Quae Isocrates de pace pronuntiat, temporibus post victorias a Charete de Persarum copiis partas fortasse apta sunt, quibus Athenienses gaudio re vera affecti sunt[6], neque vero temporibus,

---

[1] Hoc Atheniensium imperium augere Isocrates his verbis sine ullo dubio dicit.

[2] § 2: τοῖς δ'ἐχθροῖς τοῖς ἡμετέροις προσήκειν δεδιέναι καὶ βουλεύεσθαι περὶ τῆς αὑτῶν σωτηρίας.

[3] Baiter, Isocratis orationes et epistulae, p. 89.

[4] p. 45.

[5] Cfr. supra p. 17.

[6] Cfr. supra p. 17 et Isocr. VII 10: ἐπὶ τοιαύταις πράξεσιν εὐαγγέλια μὲν δὶς ἤδη τεθύκαμεν; cfr. quod Münscher, Ausgewählte Reden, p. 152 adnotat.

quibus Artaxerxes epistulas minaces Athenas misit[1]. Quid enim boni Athenienses adhuc erant assecuti? Pugnae apud Chium et Embatam cum sociis seditiosis commissae haud bene evenerant. Agmen in Asiam a Charete pro Artabazo factum, cum summa pecuniae inopia susceptum esset, omnibus apertissimum documentum erat datum, quantas in miserias Athenienses incidissent. Etsi Chares nuntios victoriarum reportatarum Athenas misit, Persarum regis litterae Atheniensium animos ad novas spes excitatos prorsus afflixerunt ac prostraverunt, ut vel occaecatissimus quisque Atheniensium gravissimum bellum instare neque pacem esse cognosceret. — Quod Miltner refutare studet dicens[2]: ,,— von seiner Absicht aber, die Bundesgenossen zu unterstützen, ist mit keinem Worte die Rede."

Sed Athenienses consilia regis Persarum cognovisse et de bello cogitasse haec paragraphi 8 verba clare ostendere mihi videntur, quae sunt: . . . καὶ τῆς ἔχθρας τῆς πρὸς βασιλέα πάλιν ἀνακεκαινισμένης, ἃ τότε κατεπολέμησεν ἡμᾶς.

Sane haec verba ad bellum Peloponnesiacum neque ad bellum sociale referenda sunt, ut Mesk vult[3]; ex eo autem, quod Isocrates verbis καὶ τῆς ἔχθρας τῆς πρὸς βασιλέα πάλιν ἀνακεκαινισμένης addit illud ἃ τότε κατεπολέμησεν ἡμᾶς, Athenienses etiam eo tempore, quo rex Persarum intervenit, de regis animo ad bellum gerendum parato cogitavisse apparet. Quod etiam e verbis, quibus Diodorus[4] utitur, elucere mihi videtur, qui haec habet:

Οἱ δ' Ἀθηναῖοι τὸ μὲν πρῶτον ἀπεδέξαντο τὴν πρᾶξιν τοῦ Χάρητος,

---

[1] Isocr. VII 8. 81: ὡς δὲ βασιλεὺς ἔχει πρὸς ἡμᾶς, ἐκ τῶν ἐπιστολῶν ὧν ἔπεμψεν ἐδήλωσεν.

[2] p. 44, ubi alio loco scribit: ,,Der Großkönig wollte aber diesen Friedensbruch von Seiten des athenischen Kommandanten nicht ruhig hinnehmen und verlangte in Athen durch eine Gesandtschaft die Abberufung des Chares, ohne aber den Athenern offiziell mitzuteilen, welche Maßregel er im Falle einer Weigerung zu ergreifen gedenke, was ihn aber keineswegs hinderte, eine recht energische Sprache zu führen."

[3] p. 18 adnot. 1. Miltnerum sequor, qui (p. 43 adnot. 5) scribit: ,,Wenn Mesk auch ἃ τότε κατεπολέμησεν ἡμᾶς als Beweis für die Abfassung nach dem Friedensschluß anführt, so ist das doch wohl ein Irrtum. Denn es ist klar, daß ἃ τότε κατεπολέμησεν ἡμᾶς und κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον auf dieselbe Zeit sich beziehen, und zwar, wie der Zusammenhang lehrt, auf die Zeit des peloponnesischen Krieges"; cfr. Münscher, Ausgewählte Reden, p. 151: ,,τότε weist auf den Schluß des § 6."

[4] XVI 22, 2.

ὕστερον δὲ τοῦ βασιλέως πρέσβεις ἀποστείλαντος καὶ κατηγοροῦντος τοῦ Χάρητος, τὴν ἐναντίαν ἴσχον γνώμην.

Quare Miltner[1] Athenienses postea demum, cum regem Persarum sociis seditiosis permagna classe auxilio venturum esse comperissent, de bello cogitavisse meo quidem iudicio falso iudicat. Quae si recte sunt disputata, Miltneri argumentis vis est subtracta neque illis verbis ὥσπερ τῆς πόλεως . . . εἰρήνην δὲ καὶ τὰ περὶ τὴν χώραν ἀγούσης uti licet, ut Areopagiticum ante pacem factam editum esse demonstretur. Quae verba ultimis belli socialis temporibus minime apta sunt. Nam tum Athenienses, quid rex Persarum iratus in animo haberet, cum cognovissent, litteris missis perterriti Charetem revocaverunt. Ut Chios, Rhodios, Coos Persis assentientibus[2] defecisse non ignorabant, ita e regis Persarum epistulis, etiamsi, ut Miltner contendit, nihil nisi querelas de agmine a Charete suscepto neque belli minas continebant, consilia regis vera cognoscere difficile non erat, quare Isocrates verbis illis de inimicitiis regis Persarum renovatis illud ἃ τότε κατεπολέμησεν ἡμᾶς statim adiungit.

Res ergo ita se habet: cum Isocrates de pace loquatur, nisi pax, quae anno 355 bellandi finem fecit, intellegi non potest. Quare Areopagiticus post pacem anni 355 compositus est.

Re vera in Areopagitico tempus, quod est post pacem anno 355 confectam, significari aliis quoque orationis locis probatur.

In paragrapho enim 2 orator dicit:

ἔτι δὲ συμμάχους ἐχούσης πολλοὺς μὲν τοὺς ἑτοίμως ἡμῖν, ἐάν τι δέῃ, βοηθήσοντας. — Ipso belli tempore haec verba dici non poterant, quippe cum Athenienses tunc sociorum indigerent. Quod vero Isocrates verbis hypotheticis utitur, illud ἐάν τι δέῃ, βοηθήσοντας bella futura indicat, quare, quo tempore Isocrates Areopagiticum scripsit, pacem fuisse consentaneum est.

---

[1] „Die Athener wurden aber doch allmählich von den Absichten des Großkönigs, daß dieser die abgefallenen Bundesgenossen gegen Athen unterstützen wolle, unterrichtet. Dieser Hergang der Ereignisse, wie man ihn unschwer aus Diod. XVI 22, 2 erkennen kann (ähnlich Judeich, a. a. O., 211), scheint mir für die Datierung des Areopagitikos von Bedeutung."

[2] Beloch III 1, p. 242 sq.: „Dort hatte man schon längst Grund zum Mißtrauen gegen die persische Politik. Hatte doch Maussollos von Karien, gleich nach Ochos' Thronbesteigung, die Inseln an seiner Küste zum Abfall von Athen gebracht und sie dann offen unterstützt; man glaubte jetzt fürchten zu müssen, daß auch der Großkönig zu gunsten der Aufständischen eingreifen würde, sobald seine Autorität in Kleinasien befestigt wäre." Cfr. Schäfer I, p. 166.

Accedit, quod Isocrates eodem loco profert: πολὺ δὲ πλείους (sc. συμμάχους) τοὺς τὰς συντάξεις ὑποτελοῦντας καὶ τὸ προσταττόμενον ποιοῦντας. — Meyer autem ipse, cuius sententiam Miltner confirmare studet, de sociis bello exeunte haec scripsit[1]: ,,. . . jetzt waren Athens Finanzen und Steuerkraft erschöpft, und auch von den kleinen noch treu gebliebenen Gemeinden der Bündner ließ sich nichts mehr erpressen.“ — Multo igitur aptius, quod Isocrates dicit[2], ad tempus referimus, quo bellum iam compositum erat et Athenienses pace facta otio fruebantur.

Sententia vero, quam protulimus, fortasse e paragraphis 3. 6—8 probatur. Orator enim in paragrapho 3 profitetur:

ὁρῶ γὰρ τῶν πόλεων τὰς ἄριστα πράττειν οἰομένας κάκιστα βουλευομένας καὶ τὰς μάλιστα θαρρούσας εἰς πλείστους κινδύνους καθισταμένας.

Fortunas et Atheniensium et Lacedaemoniorum valde incertas exempli causa affert:

. . . ἐπειδὴ δ' ἀνυπέρβλητον ᾠήθημεν ἔχειν τὴν δύναμιν, παρὰ μικρὸν ἤλθομεν ἐξανδραποδισθῆναι· (§ 6) Λακεδαιμόνιοί τε τὸ μὲν παλαιὸν ἐκ φαύλων καὶ ταπεινῶν πόλεων ὁρμηθέντες διὰ τὸ σωφρόνως ζῆν καὶ στρατιωτικῶς κατέσχον Πελοπόννησον, μετὰ δὲ ταῦτα μεῖζον φρονήσαντες τοῦ δέοντος καὶ λαβόντες καὶ τὴν κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν ἀρχὴν εἰς τοὺς αὐτοὺς κινδύνους κατέστησαν ἡμῖν[3].

Isocrates ergo his locis pacis commemorat tempora, quibus et Athenienses et Lacedaemonii potestatem plus aequo augere studuerunt, quo factum est, ut gravissima in bella postea incurrerent. Quoniam igitur tempora illa tam periculosa, in quibus civitates Graecorum potentissimae ob civium insolentiam olim versabantur, tempora erant quieta ac pacata, quibus commemoratis orator Athenienses iisdem in rebus versantes praemoniturus est, ne ut maiores in bellum incurrant, etiam quod Isocrates de suo tempore pronuntiat ad res pacatas pertinere mihi videtur. Dicit enim[4]:

ὅστις οὖν εἰδὼς τοσαύτας μεταβολὰς γεγενημένας καὶ τηλικαύτας δυνάμεις οὕτω ταχέως ἀναιρεθείσας πιστεύει τοῖς παροῦσι, λίαν ἀνόητός ἐστιν, ἄλλως τε καὶ τῆς μὲν πόλεως ἡμῶν πολὺ καταδεέστερον νῦν πραττούσης . . .

---

[1] p. 493.

[2] Etiamsi Miltner (p. 45) fatetur: ,,Daß wir in den ersten Kapiteln die optimistische Anschauung der großen Menge zu erkennen haben.“

[3] § 7. [4] § 8.

Itaque ex his quoque verbis, quo tempore Isocrates hanc orationem confecerit, Athenienses in pace esse, ni fallor, apparet. Quod vero Areopagiticum post bellum sociale editum esse constituimus, totius orationis probatur argumento, de quo in capite IV longius agemus.

Hoc commentationis loco de utriusque opusculi et περὶ εἰρήνης et 'Αρεοπαγιτικός orationis elocutione pauca dicenda sunt, cum Miltner, quando compositae sint hae orationes, inde enucleari posse persuasum habeat.

Has orationes perlegenti sane mirum videtur, quod oratio de pace dimidio fere longior est Areopagitico. Quam rem orationum argumenta neque enodant neque excusant; nam ob res in utroque libello actas Isocrati alteram orationem tam longam, alteram tam brevem scribere opus non erat. Causa potius in eo esse saepius dictum est[1], quod in oratione de pace oratoris senis primum nobis occurrat loquacitas, quam compluribus in scriptis posterioribus, cum aetate provectior esset, compositis nemo non animadvertit. Sine ullo dubio oratio de pace, etiamsi permulta laude digna sunt[2], ob hanc verbositatem minoris est aestimanda Areopagitico, qui, quod sententiarum atque complexionum structuram attinet, multo strictior est atque concinnior. Quare et antiqui scriptores et nostrorum temporum viri docti Isocratis Symmachicum iure reprehendunt[3].

---

[1] Cfr. Blass, p. 304; Münscher, P.-W. IX, 2206; Miltner, p. 46.

[2] Dionys. Hal., Isocrat. 7 p. 547 sq.: τίς δὲ ἂν μᾶλλον ἐπὶ τὴν δικαιοσύνην καὶ τὴν εὐσέβειαν προτρέψαιτο καθ' ἕκαστόν τε ἄνδρα ἰδίᾳ καὶ κοινῇ τὰς πόλεις ὅλας τοῦ Περὶ τῆς εἰρήνης λόγου; . . . ἐπιδείκνυταί τε ὡς οὐχ αἱ πολλαὶ τριήρεις οὐδ' οἱ μετὰ βίας ἀρχόμενοι ''Ελληνες μεγάλην ποιοῦσι τὴν πόλιν, ἀλλ' αἱ δίκαιαί τε προαιρέσεις καὶ τὸ τοῖς ἀδικουμένοις βοηθεῖν· —Christian, p. 418; Benseler, Isokrates Werke, p. 204; Blass, p. 303 sq.: ,,Vom künstlerischen Standpunkte aus läßt sich an der Rede Vieles loben: so zunächst hinsichtlich der Anlage und Disposition. Wie der Redner selber sagt (§ 27, vgl. Antidos. 64 f.) hat er zu seinem Zwecke die verschiedensten Formen der Rede aufgeboten: Erzählung, Anklage, Lob und Rath, und diese sind miteinander kunstvoll vermischt und verwebt, theils jede Form für sich, theils in einem Abschnitte mehrere vereinigt"; Schäfer I, p. 188 sq.; Münscher, 2206: ,,Bewundernswert ist die Friedensrede als das Werk eines 80jährigen. In den §§ 41—50, die Dionys besonders hervorhebt und kritisch betrachtet, steckt sogar anerkennenswerte Kraft."

[3] Dionys. Hal., Demosth. 18 p. 1006 sq.: ἀλλ' ἔστιν ὧν ἄν τις αὐτὴν ὡς ἐλλειπόντων μέμψαιτο καὶ οὐ μὰ Δία τῶν φαυλοτάτων. πρῶτον μὲν τῆς συντομίας· στοχαζομένη γὰρ τοῦ σαφοῦς ὀλιγωρεῖ πολλάκις τοῦ μετρίου. ἐχρῆν δὲ ὁμοίως προνοεῖν ἀμφοτέρων . . . ἡδ' ἐναγώνιος στρογγύλη τε εἶναι βούλεται καὶ συγκεκροτημένη καὶ μηδὲν ἔχουσα

Sed quod oratio de pace propter verbositatem ad scripta Isocratis posteriora et Areopagiticus propter concinnitudinem ad scripta priora prope accedit, num inde concludere licet Areopagiticum ante Symmachicum esse conscriptum? — Miltner quidem ita iudicat dicens: ,,Diese auf dem inhaltlichen Moment beruhende Abfolge der beiden Schriften wird wesentlich noch durch die stilistische Verschiedenheit der beiden Werke unterstützt. Denn die geschwätzige Breite und Langatmigkeit der Friedensrede steht in tiefem Widerspruch zu dem strengen Aufbau des Areopagitikos, der uns noch voll und ganz die an Isokrates früheren Schriften gerühmte συντομία zeigt. Auch aus diesem Grunde empfiehlt es sich, die Friedensrede nach dem Areopagitikos und zwar in etwas größerem zeitlichen Abstande anzusetzen, so daß wir in der Friedensrede doch eine tatsächliche und eine fiktive Abfassungszeit werden zu unterscheiden haben.''

Neque vero Miltnero assentiri possum. Sane Isocratem senio commotum esse, ut περὶ εἰρήνης orationem tam verbosam faceret, concedo; neque vero senectus sola effecit, ut Isocrates tam copiose et abundanter de pace facienda diceret. Nam orator hac in oratione συντομίαν, quam vocant, se non obtinuisse ipse sibi conscius est. Dicit enim[1]:

ἀνάγκη δὲ τὸν ἔξω τῶν εἰθισμένων ἐπιχειροῦντα δημηγορεῖν καὶ τὰς ὑμετέρας γνώμας μεταστῆσαι βουλόμενον πολλῶν πραγμάτων ἅψασθαι καὶ διὰ μακροτέρων τοὺς λόγους ποιήσασθαι, καὶ τὰ μὲν ἀναμνῆσαι, τῶν δὲ κατηγορῆσαι, τὰ δ' ἐπαινέσαι, περὶ δὲ τῶν συμβουλεῦσαι·

Apertissime omni verecundia omissa vult loqui[2]:

Τούτου δ' ἕνεκα ταῦτα προεῖπον, ὅτι περὶ τῶν λοιπῶν οὐδὲν ὑποστειλάμενος ἀλλὰ παντάπασιν ἀνειμένως μέλλω τοὺς λόγους ποιεῖσθαι πρὸς ὑμᾶς.

Atque sub orationis finem de libello tam longo ingenue se purgat dicens[3]:

κολπῶδες . . . — Blass, p. 304: ,,Aber die Rede würde ungeheuer gewinnen, wenn sie um ein Drittel oder auch um die Hälfte verkürzt würde''; Münscher, 2206: ,,. . . freilich die συντομία fehlt, wie Dionys mit Recht sagt: in dem gleichmäßigen Fluß der Perioden macht sich eben doch die geschwätzige Breite des Alters bemerkbar.''

[1] § 27.

[2] § 41; cfr. § 62: οὐ μὴν ἀλλ' ἐπειδή περ ἀποκεκαλυμμένως ὥρμημαι λέγειν, οὐκ ἀποκνητέον ἀποφήνασθαι καὶ περὶ τούτων. — Cfr. § 81.

[3] § 145; cfr. § 132.

Πολλῶν δὲ καὶ καλῶν λόγων ἐνόντων περὶ τὴν ὑπόθεσιν ταύτην, ἐμοὶ μὲν ἀμφότερα συμβουλεύει παύσασθαι λέγοντι, καὶ τὸ πλῆθος τῶν ἐτῶν τῶν ἐμῶν καὶ τὸ μῆκος τοῦ λόγου.

Si Isocrates senio confectus orationem de pace tam longam confecisset, verba quae modo attuli, non intellegeremus neque oratorem de oratione verbosa se excusare opus erat. Praeter aetatem ergo alia res, ut Isocrates talem componeret orationem, effecit.

Iam in commentationis praefatione Isocratem omnibus in scriptis res publicas spectasse et orationes eius ad graves civitatis res pertinere diximus[1]. De rebus Atheniensium externis Isocrates hac in περὶ εἰρήνης oratione agit. Tempore belli socialis populares a malis concionatoribus instigatos, quanta sit stultitia bellum cum sociis seditiosis gerere, docet. Primo vere anni 356 proelio ancipiti ad Chium mense Aprili fortasse commisso[2] Isocrates hanc orationem scribere coepit. Quam iniquum exitum habuerit foedus maritimum prius, alterius finem foederis cum praevideat, Athenienses docet atque omni modo a rebus adversis servare vult. Pacem non solum cum sociis seditiosis, sed universis cum hominibus ineundam civitatis salutem praestaturam esse contendit[3]. Quod ut efficiat, oratorem intra paucos menses[4], priusquam Iphicrates, Timotheus, Menestheus imperatores classi

---

[1] Qua de causa meo iudicio fieri non potest, ut inter veram et fictam orationis de pace compositionem distinguere possimus, ut Euler (p. 9), Blass (p. 299), Meyer (p. 494), Mesk (p. 15), Miltner (p. 46) volunt. Drerup (p. CLIV) suo iure iudicat: ,,Omnes enim Isocratis orationes ad res publicas spectantes — libellos dico vere politicos, minime declamationes tantum sophisticas.“ Mathieu (p. 117 sq.) plura de hac re disputans dicit: ,,Tout nous amène donc à juger que le premier de ces deux discours a été publié au moment même où il est censé être prononcé, c’est-à-dire pendant le printemps ou l’été de 356, avant la bataille d’Embata.“

[2] Meyer, p. 491; Beloch III 2, p. 260. [3] § 16.

[4] Falso iudicant, qui (cfr. Euler, p. 5; Mesk, p. 15) Isocratem ad orationes conficiendas multum temporis spatium sibi sumpsisse dicunt. Ex oratoris quidem verbis (IV 14 . . . ἐγὼ δ’ἐὰν μὴ καὶ τοῦ πράγματος ἀξίως εἴπω καὶ τῆς δόξης τῆς ἐμαυτοῦ καὶ τοῦ χρόνου, μὴ μόνον τοῦ περὶ τὸν λόγον ἡμῖν διατριφθέντος . . .) Isocratem in Panegyrico conscribendo diu elaboravisse scimus. Sed quae Dionysius Hal. (de comp. verb, 25 p. 208: ὃ μέν γε τὸν πανηγυρικὸν λόγον, ὡς οἱ τὸν ἐλάχιστον χρόνον γράφοντες ἀποφαίνουσιν, ἐν ἔτεσι δέκα συνετάξατο) et Ps.-Plutarchus (vit. X oratt. p. 837 F: τὸν δὲ Πανηγυρικὸν ἔτεσι δέκα συνέθηκεν, οἱ δὲ δεκαπέντε λέγουσιν. Cfr. auctor libelli περὶ ὕψους IV 2) referunt Isocratem decem vel etiam quindecim annos Panegyrico conficiendo se dedisse, veritati contradicit. Nam Isocrates hanc orationem scribere post Antalcidae pacem anno 387 factam animum induxit (cfr. Kessler, p. 24 adnot. 1; Mathieu, p. 68; Münscher, P.-W. IX, 2188), quam anno 380 editam

novae praefecti sunt[1], hunc libellum composuisse atque edidisse apertum est. Quare Isocrati, cum res belli socialis instent, hanc orationem diligentissime perficere et expolire non vacabat. Quod ipse tantopere dolebat, ut multis orationis locis supra allatis se excusaret.

Valde aliter res tum se habebant, cum Isocrates Areopagiticum conscripturus erat. Bello brevi ante composito statum rei publicae bellis diuturnis maxime confectae et labefactatae restituere Atheniensium plurimum interfuit. Quare Isocrates orationem, quae Ἀρεοπαγιτικός inscribitur, edidit. Cuius opusculi conscribendi, cum Athenae pace fruerentur, Isocrati sat magnum erat otium neque in libello conscribendo atque edendo festinare necesse erat. Quod sine dubio Areopagitici structurae plurimum profuit, quare illa oratio multo strictior atque brevior est Symmachico. Quo factum est, ut Isocrates in Areopagitico ambages illas narrare omitteret neque brevitati dicendi studens ad alia aberrare animum intenderet[2].

Cum igitur Isocrates multo longius sibi sumpsit tempus ad Areopagiticum componendum quam ad περὶ εἰρήνης orationem conscribendam, ille multo brevior concinniorque est Symmachico, in quo celeriter conficiendo senili indulsit loquacitati. Itaque Areopagiticum ante Symmachicum confectum esse propter scribendi utriusque orationis diversum genus concludere non licet.

---

esse constat. Sane miror, quod Wilamowitz (Plato II, Berlin 1919, p. 114 sq.) Isocratem intra decem annos, qui sint ante Panegyricum editum, nullam conscripsisse orationem contendat. Qua de re Münscher rectissime iudicare mihi videtur (cfr. Berl. phil. Woch. 44 (1924), 1052 adnot. 4 et Berl. phil. Woch. 47 (1927), 1099 sq.). Isocratem, cum esset vir, quem nostris temporibus „Journalist" vel melius „Publizist" appellamus, intra breve tempus libellum politicum scribere posse, orationes quoque Πλαταικός et Ἀρχίδαμος inscriptae luculenter demonstrant (cfr. Münscher, P.-W. IX, 2198. 2201).

[1] Quos aestate anni 356 imperatores designatos esse verisimile est; cfr. Beloch III 2, p. 259.

[2] Quod Isocrates semel atque iterum profert. Cfr. § 19: . . . ἐγὼ δ' ὡς ἂν δύνωμαι συντομώτατα περὶ ἀμφοτέρων τούτων πειράσομαι διελθεῖν πρὸς ὑμᾶς. — § 63: ἔσται δ' ὁ λόγος οὔτε μακρὸς οὔτ' ἀνωφελὴς τοῖς ἀκούουσιν. — § 77: ἀλλὰ γὰρ ἐὰν ἐπακολουθῶ τοῖς ἐνοῦσιν ἐπιτιμῆσαι καὶ κατηγορῆσαι τῶν ἐνεστώτων πραγμάτων, δέδοικα μὴ πόρρω λίαν τῆς ὑποθέσεως ἀποπλανηθῶ. περὶ μὲν οὖν τούτων καὶ πρότερον εἰρήκαμεν καὶ πάλιν ἐροῦμεν, ἐὰν μὴ πείσωμεν ὑμᾶς παύσασθαι τοιαῦτ' ἐξαμαρτάνοντας· περὶ δ' ὧν ἐξ ἀρχῆς τὸν λόγον κατεστησάμην, βραχέα διαλεχθεὶς παραχωρῶ τοῖς βουλομένοις ἔτι συμβουλεύειν περὶ τούτων.

Quae cum ita sint Meyeri Miltnerique iudiciis perquisitis atque refutatis Areopagitici editi terminus, qui vocatur post quem, pax est anni 355.

§ 3.

Orationem initio anni 354 confectam esse.

Areopagiticum intra tempus, quod annis 355 et 353 complectitur, conscriptum esse adhuc statuimus. — Sed antequam orationis editionem diligentius determinabimus, restat, ut, quae Isocrates in paragraphis primis[1] de opportunis Atheniensium rebus narrat, cum tristibus paragraphorum, quae sequuntur[2], verbis comparemus. — In primis enim paragraphis orator inanem Atheniensium fiduciam describit. Cives Atheniensium urbis patriae res falso iudicantes civitatem extra omne periculum esse existimant, cum patria pacem habeat atque ipsis ducentae[3] triremes et permulti socii opem laturi vel tributa pensuri sint. Quare mirantur, quod Isocrates orationem de salute civitatis servanda habere vult. Sed Athenienses re vera maximis in periculis versari orator in paragraphis sequentibus ostendit. Ob haec iudicia de rebus Atheniensium opposita Sittl[4] et Blass[5] prooemium orationis ante bellum sociale iam scriptum esse putaverunt, quam sententiam equidem sequi non possum[6]. Quo de prooemio

[1] §§ 1—2. [2] § 3 sq.

[3] Num his quoque Isocratis verbis (. . . ἀλλ' οὐ πλείους μὲν τριήρεις ἢ διακοσίας κεκτημένης . . .) Areopagiticum post pacem anni 355 conscriptum esse probatur? Nam primo belli socialis anno tres Atheniensium imperatores sociis seditiosis cum classe 120 navium obstitisse Diodorus (XVI 21; cfr. supra p. 11) tradit. Anno 354 Athenienses, si res postularent, 300 trieres instituere posse Demosthenes (XIV 13) contendit. Anno 353/2 Atheniensibus classem 349 navium fuisse inscriptione quadam (cfr. IG. II² 2, 1613) docemur (cfr. A. Böckh, Urkunden über das Seewesen des attischen Staates, Berlin 1840, p. 79; Beloch III 1, p. 502 adnot. 1; Mathieu, p. 124 adnot. 3). Cum autem tempore belli socialis aerarium civitatis Atheniensium tantopere exhaustum esset, ut Chares inopia pecuniae coactus suo Marte bellum in Asia gereret (cfr. supra p. 16) neque quicquam de classe nova ornata comperiamus, haec Isocratis verba ad tempus, quod est post pacem, potius spectare mihi videntur, praesertim cum bello confecto et Eubulo rem publicam administrante redditus aucti sint (cfr. p. 71).

[4] Geschichte der griechischen Literatur bis auf Alexander den Großen II, München 1886, p. 113.

[5] p. 305 adnot. 2.

[6] Münscher, P.-W., 2207; Drerup, p. CLV; Mesk, p. 18; Mathieu, p. 126.

Drerup dicit: „Discrepantia autem, quae inter orationis initium rei publicae conditionem aliquatenus felicem praedicans (§ 1/2) et asperam in eis quae sequuntur de rebus calamitosis quaerimoniam videtur intercedere, promptam explicationem habet ex eo, quod vulgi opinioni temerariae, quae orationis exordio describitur, oratoris ipsius sententia contraria subinde opponitur." — Quas paragraphos Miltner[1] Drerupi et Meski sententias refutans ad victorias a Charete partas pertinere censet. Sed, quod Miltner sentit, secundum ea, quae supra exposuimus, falsum nobis esse videtur.

Econtra verba, quae paragraphis primis continentur eo explanari posse puto, quod post bellum tam iniquum pax erat facta, quae et animos Atheniensium tantopere commovit et tantam fiduciam efficere poterat. Nam etiamsi socii tantis opibus praediti defecerant et eis plena libertas concessa erat, multi tamen in fide perseverabant. Brevi post (a. 350) urbes et Lesbi et Euboeae insularum societatem cum Atheniensibus initam solverunt, sed complures socii Atheniensibus manserunt (Cyclades insulae, nonnulla Thraciae loca, Samus, Lemnus, Imbrus, Scyrus), ut Beloch[2] iudicaret: „Immerhin blieb Athen auch jetzt noch die bei weitem erste griechische Macht."

Qui sociorum quamquam imminutus numerus tantus erat, ut Athenienses alacres et fiduciae plenos faceret[3]. Praeterea

---

[1] p. 45: „Denn auch der übertriebenste Leichtsinn bedarf eines äußeren Anlasses, der aber mangelt Mesk; uns dagegen bietet er sich ungezwungen in dem Siege des Chares dar. Die Bedeutung dieses Sieges nämlich in innerpolitischer Richtung darf nicht unterschätzt werden. Man muß sich nur vergegenwärtigen, daß Chares aus der gemachten Beute nicht nur seine Truppen vollauf befriedigen konnte, was für die Athener zu Hause von größter Bedeutung war, denn für den Sold hätten sie die Gelder doch nicht mehr aufbringen können, sondern auch nach Athen Rinder und Gold schicken und es wagen konnte, seinen Sieg dem Erfolg von Marathon an die Seite zu stellen (Plut. Arat. 16). Wenn aber bei solchen Nachrichten das Volk sich den rosigsten Träumen hingab und nichts von bedenklicher Lage wissen wollte und sich auch durch die Demarche des Großkönigs, der noch in Asien saß, während sie die Rinder und das Geld in Händen hielten, nicht einschüchtern ließ, so ist das wohl vollkommen begreiflich."

[2] III 1, p. 245; cfr. Meyer, p. 494; Busolt, p. 860; Münscher, Ausgewählte Reden, p. 138.

[3] Quare optimo iure Münscher scribit: „Gewiß nicht minder herrschte diese Stimmung schon nach Beendigung des Bundesgenossenkrieges. Man hatte ihn einmal überstanden und neue Gefahr sah man keine. Bundesgenossen und Einkünfte von ihnen blieben den Athenern noch einige, wenn auch bedeutend weniger

imperium maritimum etiamsi fractum pro potestate, quae etiam tunc Atheniensibus erat, firmum putari poterat, qua de causa populus imperio quoque maritimo fidem habebat.

Isocrates igitur Areopagiticum post pacem anni 355 composuit. Cum autem bellum anno 355 exeunte confectum sit, Areopagiticum initio anni 354 scriptum esse mihi profitendum esse videtur. Cui tempori omnes res, quas oratio continet, sunt aptissimae. Affero exempli causa mille talenta, quae Athenienses ad bellum sociale gerendum impenderunt[1], odium et contemptum Graecorum[2], inimicitias regis Persarum[3], turbas, in quas incidit civitas[4], socios, qui defecerant[5], complures orationes ab Isocrate iam habitas[6], paupertatem bello ortam[7].

Caput IV.

De utriusque orationis argumento.

Περὶ εἰρήνης orationem ante Areopagiticum compositam esse postremo utriusque libelli argumento comprobatur.

Isocratem orationibus scribendis non modo artem dicendi excoluisse, sed potius, cum sint scripta vere politica, ad res vel Atheniensium vel omnium Graecorum publicas aliquid conferre voluisse iam saepius exposuimus. Ut erat scriptor vere politicus, quae et in Symmachico et in Areopagitico civibus offerebat consilia, non omni tempore proponere poterat, sed, prout condicio temporis exigebat, ut has conscriberet orationes, commotus est. Res quales tum erant Atheniensium, ipsa orationum argumenta

als früher, so daß der eitle Optimismus sich (§ 2 u. 3) derselben glaubte getrösten zu können."

[1] § 9: ἐοίκατε γὰρ οὕτω διακειμένοις ἀνθρώποις, οἵτινες ἁπάσας μὲν τὰς πόλεις τὰς ἐπὶ Θράκης ἀπολωλεκότες, πλείω δ' ἢ χίλια τάλαντα μάτην εἰς τοὺς ξένους ἀνηλωκότες, πρὸς δὲ τοὺς Ἕλληνας διαβεβλημένοι καὶ τῷ βαρβάρῳ πολέμιοι γεγονότες. . .

[2] §§ 8. 10. 81.

[3] § 8: ὅστις οὖν εἰδὼς τοσαύτας μεταβολὰς γεγενημένας καὶ τηλικαύτας δυνάμεις οὕτω ταχέως ἀναιρεθείσας πιστεύει τοῖς παροῦσι, λίαν ἀνόητός ἐστιν, ἄλλως τε καὶ τῆς μὲν πόλεως ἡμῶν πολὺ καταδεέστερον νῦν πραττούσης ἢ κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον, τοῦ δὲ μίσους τοῦ τῶν Ἑλλήνων καὶ τῆς ἔχθρας τῆς πρὸς βασιλέα πάλιν ἀνακεκαινισμένης, ἃ τότε κατεπολέμησεν ἡμᾶς.

[4] § 9: Ἀπορῶ δέ, πότερον ὑπολάβω μηδὲν μέλειν ὑμῖν τῶν κοινῶν πραγμάτων ἢ φροντίζειν μὲν αὐτῶν, εἰς τοῦτο δ' ἀναισθησίας ἥκειν, ὥστε λανθάνειν ὑμᾶς, εἰς ὅσην ταραχὴν ἡ πόλις καθέστηκεν.

[5] § 10. [6] § 60. [7] § 83; cfr. § 8.

arte circumscripserunt, ut Isocratem περὶ εἰρήνης orationem in bello sociali, at Areopagiticum post pacem anno 355 factam edidisse ex utriusque orationis argumento concludere difficile non sit.

Scilicet in oratione de pace Isocrates maximam dicendi vim confert ad res externas, quae ut mutarentur, Athenienses ex animo vereque cohortatus est. Quod ut cognoscas, orationis argumentum iam referamus.

I. Prooemium (§§ 1—16).

Orator cives Atheniensium de gravi orationis momento docens (§§ 1—2) amentis esse ostendit orationes audire eorum, qui verba faciunt, ut populi bellandi cupidi gratiam sibi concilient, neque eorum proposita, qui, quae maximo usui sunt, suadent (§§ 3—13). Etiamsi, quam difficile atque arduum sit populo inflammato resistere, non ignorat, quid ipse de pace Atheniensibus universis cum hominibus facienda et de rebus publicis sentiat, libere tamen se expositurum esse dicit (§§ 14—16).

II. Tractatio (§§ 17—131).

Priusquam Isocrates, quomodo pax in futurum possit durare, explanet, Atheniensibus, quantam iustitia vim habeat et quot pericula iniuriae efficiant, ante oculos ut ponat, res accuratius fundat[1] (§§ 17—60). Pace facta Athenienses rebus adversis, in quibus tum versantur, liberati, quae appetunt, assequentur (§§ 17—24). Ut vero pacem conservent, maiorem e tranquillitate utilitatem se percepturos esse quam e πολυπραγμοσύνῃ, ut ait orator, et iustitiam plus lucri laturam esse quam iniurias Atheniensibus persuaderi opus est; etenim, quod hoc animis non agitaverunt, summum in periculum Athenienses inciderunt (§§ 25—30). In iuste agendo plus utilitatis est quam in male committendo (§§ 31—55), id quod ex historia Atheniensium et tum viventium et maiorum clare apparet (§§ 36—56). Opes ipsae, quae praesto sunt hoc ipso tempore, valde sunt instabiles (§§ 57—60).

Tranquillitas continua atque rei publicae salus hoc uno effici potest, ut Athenienses dimittant imperium maris, cum causa sit omnium calamitatum, quibus Athenienses ceterique omnes Graeci

[1] In oratione de pace multae Socraticorum opiniones nobis occurrunt. Cfr. H. Gomperz, Wiener Stud. 27 (1905) p. 200.

affecti sunt (§§ 61—115). Imperium maritimum neque iustum est neque quicquam profuturum neque obtineri potest (§§ 64—66). Invalidiores coerceri a potentioribus sane iniustum neque aequum est atque Athenienses ipsi olim sic senserunt, cum Lacedaemonii imperium obtinerent (§§ 67—69). Principatus, quem petunt, rei publicae inutilis est (§§ 70—103), id quod ex Atheniensium rebus gestis facile demonstrari potest (§§ 75—94). Nam, antequam imperium maritimum nacti essent, tantam fidem atque fiduciam apud omnes Graecos sibi paraverant, ut pleraeque civitates sua sponte eis se traderent (§§ 75—76). Principatu autem suscepto patres Atheniensium omnium odium in se converterunt et rem publicam maximos in tumultus coniecerunt, cum non imperium sed tyrannidem tenere vellent (§§ 77—94). Quam alienum atque perniciosum maris imperium saluti civitatis sit, Lacedaemoniorum quoque ex rebus cognosci potest (§§ 95—103). Athenienses, quamquam imperium maritimum omnium fuit causa malorum (§§ 104—105), id minime intellexerunt, quippe cum plurimi mortalium petere res soleant, quae obsunt magis quam prosunt (§§ 106—110). Praecipue vero, quod homines imperandi desiderio semper flagrant (§§ 111—113), Athenienses tantopere sunt caecati, ut imperium maritimum haud multum distare a paucorum potentia non cognoscant (§§ 114—115). Ut recte agant et bene intellegant (§§ 116—131), in eas res animum intendere Atheniensibus opus est, quae rem publicam et suam ipsorum et aliorum ad dominatum vel ad perniciem adduxerunt (§§ 116—120). Neque vero malis oratoribus aures praebere licet (§§ 121—131).

III. Conclusio (§§ 132—145).

Isocrates omnia, quae Athenienses e rebus adversis eripere possint, breviter astringit (§§ 132—144) simulque adulescentes, ut similes habeant orationes, cohortatur (§ 145). —

Finis orationis continetur his verbis[1]:

Ἐγὼ γὰρ ἡγοῦμαι καὶ τὴν πόλιν ἡμᾶς ἄμεινον οἰκήσειν καὶ βελτίους αὐτοὺς ἔσεσθαι καὶ πρὸς ἁπάσας τὰς πράξεις ἐπιδώσειν, ἢν παυσώμεθα τῆς ἀρχῆς τῆς κατὰ θάλατταν ἐπιθυμοῦντες. αὕτη γάρ ἐστιν ἡ καὶ νῦν εἰς ταραχὴν ἡμᾶς καθιστᾶσα καὶ τὴν δημοκρατίαν ἐκείνην καταλύσασα, μεθ' ἧς οἱ πρόγονοι ζῶντες εὐδαιμονέστατοι τῶν Ἑλλήνων

[1] § 64; cfr. §§ 66. 70. 77. 94. 103. 105. 108.

ἦσαν, καὶ σχεδὸν ἁπάντων αἰτία τῶν κακῶν ὧν αὐτοί τ'ἔχομεν καὶ τοῖς ἄλλοις παρέχομεν.

Sed, quamquam Isocrates, ut Athenienses pace universis cum hominibus facta imperium maris reiciant atque repudient, efficere vult, de omni dominatu illis decedendum esse nequaquam contendit[1]. Quodsi fecisset, ipse eis, quae in Panegyrico diserte protulit, repugnasset, ubi Atheniensibus propter maxima de omnibus Graecis merita deberi principatum demonstrare conatus est[2]. Immo et συμμαχίαν et ἡγεμονίαν omnimodo conservandas esse orator in oratione de pace ingenue profitetur[3]. Neque vero Athenienses principatum postulare possunt, sed honoris causa socii beneficiorum ab Atheniensibus acceptorum memores praemium quasi iis impertire debent[4]. Isocrates ergo illud imperium, quod tyrannidi favet[5], repudiat reicitque. At si Athenienses imperio iniusto dimisso sociorum libertatem servaverint neque imminuerint, foederatos imperium sua sponte ad Athenienses delaturos esse censet[6]. Summam igitur imperii servandam esse Isocrates

---

[1] Quare falso iudicant Sittl (p. 112), Koepp (p. 484), Meyer (p. 495), qui scribit: ,,Seine Friedensrede ist der Widerruf all der hohen Erwartungen, mit denen er 25 Jahre zuvor das Programm entwickelt hatte, das Athen und Hellas erfüllen sollten"; Miltner, p. 45: ,,Der Grundgedanke der Friedensrede hingegen ist: Aufgeben der Seeherrschaft und jeglicher Hegemoniepolitik."

[2] Qua de re Panegyrici pars prima (§§ 18—132) agit; cfr. §§ 21—23: τοῦτο μὲν γὰρ εἰ δεῖ τούτους ἐφ' ἑκάστῳ τιμᾶσθαι τῶν ἔργων τοὺς ἐμπειροτάτους ὄντας καὶ μεγίστην δύναμιν ἔχοντας, ἀναμφισβητήτως ἡμῖν προσήκει τὴν ἡγεμονίαν ἀπολαβεῖν, ἥνπερ πρότερον ἐτυγχάνομεν ἔχοντες· οὐδεὶς γὰρ ἂν ἑτέραν πόλιν ἐπιδείξειε τοσοῦτον ἐν τῷ πολέμῳ τῷ κατὰ γῆν ὑπερέχουσαν, ὅσον τὴν ἡμετέραν ἐν τοῖς κινδύνοις τοῖς κατὰ θάλατταν διαφέρουσαν.

[3] Cfr. §§ 30. 138—140.

[4] Cfr. Oncken, p. 88: ,,Die Hegemonie, welche Isokrates damals meinte und auch jetzt keineswegs verworfen wissen will, ist ein Geschenk, welches die hellenischen Staaten im Verein dem würdigsten unter ihnen freiwillig übergaben, ihm freiwillig belassen, wie einst der delische Bund Athen gegenüber gethan hat; sie ist mithin kein Herrschaftsrecht, das ein Staat als ihm gebührend beanspruchen, mit Gewalt erfechten und vertheidigen dürfte, sondern eine Ehrenwürde, eine Belohnung, die er durch Gerechtigkeit, die Seele aller bürgerlichen Tugenden verdienen muß . . ."; cfr. p. 93; Norlin I, p. 3.

[5] §§ 19. 91. 105. 134: Δεύτερον δ'ἢν ἐθελήσωμεν χρῆσθαι τοῖς συμμάχοις ὁμοίως ὥσπερ τοῖς φίλοις, καὶ μὴ λόγῳ μὲν αὐτονόμους ἀφιῶμεν, ἔργῳ δὲ τοῖς στρατηγοῖς αὐτοὺς ὅ τι ἂν βούλωνται ποιεῖν ἐκδιδῶμεν, μηδὲ δεσποτικῶς ἀλλὰ συμμαχικῶς αὐτῶν ἐπιστατῶμεν, ἐκεῖνο καταμαθόντες, ὅτι μιᾶς μὲν ἑκάστης τῶν πόλεων κρείττους ἐσμέν, ἁπασῶν δ'ἥττους.

[6] §§ 21. 30. 138—140: ἤν τε γὰρ δόξῃ τῶν πόλεων ταῖς προεχούσαις ἀπέχεσθαι τῶν ἀδικημάτων, ἡμεῖς τούτων τῶν ἀγαθῶν τὴν αἰτίαν ἕξομεν· ἤν τ' ἐπιχειρῶσιν ἀδικεῖν,

vel in oratione de pace docet, ut, quod in Panegyrico exposuerat, non reiecisse sed alio modo defendisse videatur.

Quibus praemissis, ad quod tempus spectet huius orationis argumentum, quaerere licet. Sine ullo dubio oratio de pace illo tempore edita est, quo Athenienses de rebus publicis externis summo cum studio disputabant, quod συμμαχία, de qua tota oratio agit, ne dissolveretur magno in periculo erat. Quae facta sunt in bello sociali, quo, cum societas altera maritima resolvi coepta esset, Athenienses novas, quas inire possent, vias et rationes principatus obtinendi et societatis servandae quaerebant: alii quidem, qui cum Aristophonte oratore et Charete duce stabant[1], vi et bello, alii vero, quorum sententias Isocrates secutus est, imperium maritimum remittendo. Post bellum confectum tam longe lateque de principatu obtinendo disserere supervacaneum erat, quod tum Athenienses de imperio prorsus fere amisso decedere opus non erat neque ulla spes erat socios Atheniensibus denuo se tradituros esse. Neque, postquam Eubulus aliique rei publicae praeesse coeperunt, res externae, potius internae, quomodo essent tractandae, Atheniensium intererat[2].

Quae vero Isocrates hac in περὶ εἰρήνης oratione suadet, aliena non fuisse a Timothei imperatoris de pace facienda et imperio dimittendo opinionibus pro certo habeo[3]. Qui celeberrimus Atheniensium dux, cum Isocratis verba apud cives nihil valuissent, classis imperium perinvitus suscepit, ut ex eis, quae ab illo in pugna navali apud Embatam commissa sunt gesta[4], luculenter patet.

Illud vero constat Isocratem hanc de pace orationem eo consilio confecisse, ut Eubulo illi gratum faceret, quo auctore postea pax composita est et qui bello confecto rei publicae magnopere

---

ἐφ' ἡμᾶς ἅπαντες οἱ δεδιότες καὶ κακῶς πάσχοντες καταφεύξονται, πολλὰς ἱκετείας καὶ δεήσεις ποιούμενοι, καὶ διδόντες οὐ μόνον τὴν ἡγεμονίαν ἀλλὰ καὶ σφᾶς αὐτούς. — Cfr. Euler, p. 17; Oncken, p. 88. 107; Drerup, p CLIV; Kessler, p. 35. 41 sq.; Mesk, p. 16; Mathieu, p. 123; Münscher, Berl. phil. Woch. 32 (1912), 195.

[1] Cfr. supra p. 24 sq.; Schäfer I, p. 189.

[2] Consilium de imperio omnino remittendo post bellum compositum Xenophon ad Isocratis περὶ εἰρήνης orationem se applicans (cfr. G. Kaibel, Hermes 25 (1890), p. 597; Münscher, Berl. phil. Woch. 39 (1919), 13) in libro de vectigalibus Atheniensibus denuo profert (c. V).

[3] Münscher, P.-W. IX, 2205.

[4] Cfr. supra p. 13.

afflictae praeerat[1]. Etenim iam in bello, cum res illae contra seditiosos ad Chium insulam susceptae ancipiti Marte gestae essent, Eubuli factionem crevisse et, ut pax fieret, ad populum tulisse opinor[2]. — Isocratem vero hac oratione propositum assecutum esse vix dici potest, quod Athenienses verba illa de imperio voluntarie dimittendo ab Isocrate prolata vana atque futilia esse putaverunt[3]. —

Pro imperio Atheniensium conservando Isocrates in Symmachico auctoritatem suam interposuerat; ut idem recuperetur, orator in Areopagitico toto animo incumbit[4]. Cum Isocrates in περὶ εἰρήνης opusculo de rebus Atheniensium externis sententiam aperuisset, hoc in libello Ἀρεοπαγιτικός inscripto ad res illorum internas, quas in oratione de pace breviter iam attigerat[5], omni studio se confert. Quod ut facile intellegas, argumentum Areopagitici quoque referamus.

I. Prooemium (§§ 1—15).

Statum rei publicae, qui optimus esse videatur, Athenienses fecisse securissimos orator primis in paragraphis explanat (§§ 1—2). Cui civitatis statui confidere non licet, cum et e rei natura (§§ 3—5) et ex historia (§§ 6—7) prosperam fortunam subsequi calamitates et florentissimam quamque rem publicam maximis circumdatam esse periculis cognosci possit. Athenienses vero, quamquam civitatis secundam fortunam nulla re nisi ipsa rei publicae bona forma ac condicione niti sciunt, nulla affecti sunt sollicitudine (§§ 8—15).

II. Tractatio (§§ 16—83).

Ut Athenienses pericula instantia arceant et a malis, in quibus versantur, solvantur, re publica commutata potestatem populi a Solone constitutam et a Clisthene restitutam revocari optimum

---

[1] Cfr. Benseler, Isokrates Werke II, p. 203; Meyer, p. 494; Drerup, p. CLIV; Mathieu, p. 124.

[2] Cfr. Isocr. VIII 16.

[3] Plurimi viri docti Isocratem ob consilia in oratione de pace data acerrime reprehendunt. Cfr. W. Hornbostel, Über die von Demosthenes in Sachen des Apollodor verfaßten Gerichtsreden, Progr. Ratzeburg 1851, p. 8; Ἀ. Κυπριανός, Τὰ ἀπόρρητα τοῦ Ἰσοκράτους ἢ περὶ λόγων ἐσχηματισμένων, ἐν Ἀθήναις 1871, p. 4. 65; Blass, p. 302; Münscher, P.-W., 2206; Kessler, p. 42 sq.

[4] §§ 12. 64—66. 69. 71; cfr. Rohde, De Atheniensium imperio, p. 70 sq.

[5] §§ 49—56.

esse videtur (§§ 16—35). Quantopere Solonis et Clisthenis δημοκρατία antistet ei, qua Athenienses nunc utuntur, comparando patet (§§ 17—35). Quod iam e re publica tum bene administrata colligi potest (§§ 19—27); nam populi illa potestas lege constituta erat aequalitatis, qua et boni et scelesti cives pro cuiusque merito honoribus vel poenis affecti sunt (§§ 19—23). Quae in populi probitate et moribus posita erat (§§ 24—27). Quare illa δημοκρατία praecipue populi in deos pietatem (§§ 29—30) et mutuam civium benevolentiam (§§ 31—35) effecit.

Causa vero rei publicae optime olim administratae in Areopagi instituto posita erat (§§ 36—55). Qui civium disciplinam moresque, qui rei publicae maiorem utilitatem parant quam plurimae et optimae leges (§§ 39—42), curavit et adulescentium adultorumque educationi ita favit (§§ 43—49), ut fructus fierent egregii, quorum Athenienses nunc viventes indigent (§§ 50—55).

In paragraphis, quae sequuntur, Isocrates ea, quae opponi possint, refutat (§§ 56—83). Etiamsi orator, ut civitatis mutent formam, Atheniensibus suadet, pro paucorum potentia dicere nequaquam in animo habet (§§ 56—70). Nam formam illam veterem atque expertam, de qua ipse cogitat, omnes bene noverunt et eam a veris plebicolis institutam esse optime sciunt (§§ 58—59). E prioribus quoque scriptis suis paucorum imperio se esse adversarium patet (§§ 60—61). Rem publicam praesentem ipsam, quam omnes reprehendunt, potentiae paucorum praestare e comparatione cum triginta virorum imperio demonstrari potest (§§ 62—70). Si quis obiciet rei publicae statum, quippe qui tanta produxisset bona, mutari opus non esse (§§ 71—83), mortales contentos esse non debere dicit eis, quae sunt minus mala, sed optima petere debere, praesertim cum Atticae terrae semper laudi fuerit, quod viros praestantissimos genuerit (§§ 71—77). Immo status rei publicae praesens peior est eo, cui maiores inservierunt (§§ 78—83).

III. Conclusio (§ 84).

Athenienses, si ipsorum patres imitarentur, cum suae rei publicae tum omnium Graecorum conservatores futuros esse contendit. —

Sed iam res, quomodo Athenis post pacem a. 355 factam fuerint, exponere necesse est. Athenienses enim regis Persarum

interventu commoti bellum sociale composuerant. Neque tam, quod propter exercitus Persarum ingentes timore perterriti erant, quam, quod civitas aerario consumpto et exhausto summum in discrimen erat deducta, ut pax fieret, effecerat[1].

Isocrates iam in περὶ εἰρήνης oratione asperrimas profudit querelas de re publica Atheniensium male affecta[2]: Mercaturam atque negotia iacere, multos cives summa in egestate vivere, urbem mercatoribus indigere, plurimos tributis ceterisque belli muneribus ita esse oppressos, ut maxima in paupertate degerent[3]. „In eam denique stultitiam incidimus", orator inquit, „ut ipsi annonae penuria laborantes peregrinum alere militem studeamus et sociis nostris ipsis iniurias inferamus et tributa exigamus, quo mercedem communibus omnium mortalium hostibus numeremus[4]."

Quoniam res ita se habebant, Athenienses prospere bella gerere nequibant. Quare potentia eorum, qui magna belli gerendi cupiditate affecti erant, subversa Eubulo duce eos, qui pacis erant amantissimi, summam rei publicae suscepisse[5] facile intellegimus. Bello confecto et imperio maris amisso Athenienses sane otio egebant[6] diuturno, ut civitatem radicitus perturbatam restituerent atque instaurarent. Etenim Eubulus, qui inde ab anno 354[7] complures per annos summo magistratu fungebatur in civitatis reditibus publicis augendis magnam consumpsit operam[8]. Quos amplificari plurimum referebat, cum in reditibus civitatis res internas et externas positas esse nemo nesciat. Eubulus vero, qui, quamquam summum in reditibus augendis impertiebat laborem, alias civitatis res haudquaquam neglegebat[9], industria

---

[1] Schäfer I, p. 191.

[2] §§ 20—24. 47. 69. 124—131.

[3] § 128: οἱ μὲν γὰρ τὰς πενίας καὶ τὰς ἐνδείας ἀναγκάζονται διεξιέναι καὶ θρηνεῖν πρὸς σφᾶς αὐτούς, οἱ δὲ τὸ πλῆθος τῶν προσταγμάτων καὶ τῶν λειτουργιῶν καὶ τὰ κακὰ τὰ περὶ τὰς συμμορίας καὶ τὰς ἀντιδόσεις· ἃ τοιαύτας ἐμποιεῖ λύπας ὥστ' ἄλγιον ζῆν τοὺς τὰς οὐσίας κεκτημένους ἢ τοὺς συνεχῶς πενομένους.

[4] § 46; cfr. Baiter, p. 107.

[5] Meyer, p. 494.

[6] Beloch III 1, p. 483.

[7] Cfr. Schäfer I, p. 199; Beloch, p. 484; Kirchner, P.-W. VI, 876.

[8] Cfr. Schäfer, p. 186 sq.; Kirchner, 876; A. Motzki, Eubulos von Probalinthos und seine Finanzpolitik, Diss. Königsberg 1903; Beloch, Attische Politik, p. 173 sq.; Beloch, Griechische Geschichte III 1, p. 483 sq.; Kahrstedt, Forschungen, p. 183. 225; Drerup, Aus einer alten Advokatenrepublik, p. 41 sq.

[9] Cfr. Aesch. III 25; Din. I 96; Schäfer, p. 203; Beloch III 1, p. 485.

diligenti et labore assiduo[1] re vera reditus publicos valde auxit et publicum aerarium pecuniis replevit[2].

Athenienses vero, quanto rei publicae instaurandae redituumque augendorum illo tempore tenerentur desiderio, e multis scriptis tunc temporis editis optime cognosci potest. Quae potissimum ad reditus publicos emendandos spectabant et studia rationesque Eubuli suorumque quam maxime adiuvabant. Quae ut enumeremus, Xenophon Corinthi illo tempore degens libellum πόροι [ἢ περὶ προσόδων] inscriptum confecit[3], quo emisso cum Atheniensibus consilia ad reditus augendos vere efficacissima[4] communicavit: Atticam regionem natura ita esse comparatam, ut eius auxilia naturalia ad proventus augendos plurimum valeant (c. I). Quae remedia praeter τὰ αὐτοφυᾶ ἀγαθά (II 1) adhibenda sint, proponit (c. II—IV). Inquilinorum (c. II) et mercaturae (c. III) et imprimis metallorum (c. IV) curam, ut rei publicae vectigalia augeantur, profecto effecturam esse. Quibus peractis consiliis, quorum fundamentum esset pax servanda (c. V), Atheniensibus omnia commoda obventura esse (c. VI). — Anno 354 Demosthenes orationem περὶ συμμοριῶν (XIV) habuit, in qua Athenienses, ne bellum inconsulte contra Persas susciperent cohortatus (§§ 3—6)

---

[1] Cfr. Theop. fr. 91 (Oxf.): δημαγωγὸς ἦν ἐπιφανέστατος, ἐπιμελής τε καὶ φιλόπονος· — cfr. Beloch, Attische Politik, p. 174; Schäfer, p. 191.

[2] Plut. praec. ger. reip. 15 p. 812 F: ἐπαινοῦσιν δὲ καὶ τὸν Ἀναφλύστιον Εὔβουλον, ὅτι πίστιν ἔχων ἐν τοῖς μάλιστα καὶ δύναμιν οὐδὲν τῶν Ἑλληνικῶν ἔπραξεν οὐδ' ἐπὶ στρατηγίαν ἦλθεν, ἀλλ' ἐπὶ τὰ χρήματα τάξας ἑαυτὸν ηὔξησε τὰς κοινὰς προσόδους καὶ μεγάλα τὴν πόλιν ἀπὸ τούτων ὠφέλησεν.

[3] Assentior sententiae eorum virorum doctorum, qui Xenophontem hunc libellum post pacem anni 355 composuisse censent. Cfr. C. G. Cobet, Novae lectiones, Lugduni Batavorum 1858, p. 756; Th. Gleininger, De Xenophontis libello, qui πόροι inscribitur, Diss. Halis 1874; A. Zurborg, De Xenophontis libello, qui πόροι inscribitur, Diss. Berolini 1874; Böckh, Staatshaushaltung der Athener I, p. 698; Schäfer I, p. 193; Beloch, Attische Politik, p. 175. — Griech. Gesch. III 1, p. 452; Meyer, p. 494; Münscher, P.-W. IX, 2207; Rohde, p. 72; Motzki, p. 14 adnot. 1; Drerup, p. 41; I. H. Thiel, Ξενοφῶντος πόροι, cum prolegomenis et commentariis edidit, Diss. Univ. Amstelodamensis (Vindobonae) 1922; Mathieu, p. 145. — Hunc libellum anno 346 demum conscriptum esse sentiunt H. Hagen, Eos II (1866), p. 149. 153 sq.; L. Holzapfel, Philol. 41 (1882), p. 242. — Libellum non esse Xenophonteum putant Oncken (p. 96), Hagen (p. 158), R. v. Pöhlmann (Sitzb. d. b. Akad., p. 118).

[4] Eubulum non pauca eorum, quae Xenophon hoc libello commendaverat Atheniensibus, recepisse atque re vera perfecisse constat. Cfr. R. Herzog, Festgabe für Hugo Blümner, Zürich 1914, p. 478 sq.; Ἀ. Ἀνδριάδης, Πρακτικὰ τῆς Ἀκαδημίας Ἀθηνῶν 1928, 3, p. 46—58 (cfr. Berl. phil. Woch. 48 (1928), 1528).

de omni re navali denuo constituenda et omnino emendanda commonefecit: de trierarchiis in 20 classes, quae συμμορίαι vocantur, distribuendis (§§ 16—17), de navibus ipsis (§ 18), de tributis (τὰ χρήματα συντεταγμένα §§ 19—20), de omnibus ad naves pertinentibus rebus (§ 21), de sociis navalibus (§§ 22—23) verba facit. Neque de pecuniis, quae necessariae sint, non dicit[1].

Eodem tempore, quod est post pacem anni 355, sine ullo dubio Isocratis Areopagiticus conscriptus est. Nam, cum etiam haec oratio idem illud studium spectet, ut rei publicae perturbatae status renovetur atque instauretur, quod post pacem anni 355 Athenienses et imprimis eos, qui tum rem publicam gubernabant, tenebat, Areopagiticum post pacem demum editum esse concludamus necesse est. Neque dubito, quin Isocrates hoc opusculo edendo Eubuli[2] consilia adiuvare velit. Qua re praeter ceteras ex orationis verbis ipsis collectas Areopagiticum bello sociali confecto compositum esse comprobatur. Neque Isocrates de pecuniis publicis solis[3] agit, sed sententiis suis, quae spectant civitatis instaurationem, latius et profundius fundamentum ponit: etenim Athenienses e miseriis, in quibus versentur eripi non posse docet nisi forma rei publicae commutata, quare δημοκρατίαν Solonis et Clisthenis instituendam esse censet[4].

Neque vero haec consilia, quibus Eubuli studiis se suffragaturum esse Isocrates certe speravit, id quod orator voluerat, effecerunt. Isocrates enim sibi ipsi repugnavit[5]: nam illa πάτριος πολιτεία, quam, ut instituatur, suadet, re vera non fuerat civitas popula-

---

[1] Cfr. Schäfer I, p. 459 sq. — Paucis annis ante haec et Xenophontis et Demosthenis scripta libellus ποριστικὴ βίβλος inscriptus ab Aenea tactico (cfr. Schwarz, P.-W. I, 1019 sq.) confectus est, qui, si ex libri titulo concludere licet, de reditibus publicis egit. Quo de opusculo certiores fimus ex eiusdem auctoris libro πολιορκητικά inscripto et intra spatium annorum 360—356 (L. W. Hunter-S. A. Handford, Αἰνείου πολιορκητικά, Aeneas on Siegecraft, Oxford 1927, p. XII) edito, ubi commemoratur (XIV 2).

[2] Cfr. Drerup, Isocratis opera omnia, p. CLVI; Mesk, p. 20.

[3] §§ 32—33.

[4] § 16: εὑρίσκω γὰρ ταύτην μόνην ἂν γενομένην καὶ τῶν μελλόντων κινδύνων ἀποτροπὴν καὶ τῶν παρόντων κακῶν ἀπαλλαγήν, ἐὰν ἐθελήσωμεν ἐκείνην τὴν δημοκρατίαν ἀναλαβεῖν, ἣν Σόλων μὲν ὁ δημοτικώτατος γενόμενος ἐνομοθέτησεν, Κλεισθένης δ'ὁ τοὺς τυράννους ἐκβαλὼν καὶ τὸν δῆμον καταγαγὼν πάλιν ἐξ ἀρχῆς κατέστησεν. Cfr. § 78.

[5] Cfr. Münscher, P.-W. IX, 2208; v. Pöhlmann, p. 150: „Der Widerspruch zwischen der innersten Tendenz der Reformideen des Isokrates und der zur Schau getragenen demokratischen Gesinnungstüchtigkeit ist ein so tiefgreifender, daß

rium. Orator enim postulat, ut Athenienses civitatem administrandam ad Areopagum, cuius potestatem pauci obtinebant, voluntarie deferant.

Iam quae in capite tertio exposuimus, complectamur paucis verbis.

Ex utriusque orationis argumento Symmachicum tempore belli socialis et Areopagiticum compositum esse post pacem anni 355 cognoscere possumus. Bello sociali Athenienses socios, qui defecerant, oppugnaverunt. Isocratem res illius temporis in περὶ εἰρήνης oratione attigisse apparet. Pace facta Atheniensium potestas labefactata est, quo tempore moderati homines rei publicae praeerant auctore Eubulo. Cuius consilia civitatis emendandae Isocrates adiuvare in animo habebat oratione edita, quae 'Αρεοπαγιτικός est inscripta. Quae consilia Isocrates ipsius belli tempore, quo Athenienses, ut rem publicam armis defenderent, omnem operam impendebant, profiteri non poterat, quare neque Symmachicus pacis tempori neque Areopagiticus belli tempori aptus esse videtur.

---

es von vorneherein ein utopischer Gedanke gewesen wäre, die Demokratie könne für dieselbe gewonnen werden."

Capitum index.

Vita.

Natus sum Franciscus Kleine-Piening in Oldenburgi vico, cui nomen est Damme, a. d. IV. Non. Mai. anni 1897 patre Bernardo, matre Theresia e gente Kruthaup, quos in vivis esse valde gaudeo. Fidem profiteor catholicam.

Litterarum elementis imbutus gymnasium Franciscanum Vlodropiense adii. Stipendiis militiae emeritis testimonium quod vocant maturitatis gymnasii Paulini Monasteriensis mense Martio anni 1920 adeptus studiis philosophicis et theologicis in eiusdem ordinis seminario per sex annos me dedi. Vere anni 1926, ut studiis philologicis operam navarem, almam matrem Monasteriensem petivi, cuius civis per novem semestria fui.

Et scholis et seminariis docuerunt me viri doctissimi: Beckmann, Decroos, Engelkemper, Ettlinger †, Goldschmidt, Hielscher, O. Hoffmann, Kabitz, Lehmann-Hartleben, Meinertz, Münscher, Münzer, Rosenmöller, de Salis, Schöne, Sonnenburg, Wiese †.

Quibus viris doctissimis optime de me meritis gratias ago quas debeo maximas, imprimis C. Münschero, qui hac in commentatione conscribenda nunquam consilio operaque mihi defuit.